



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)



X

III


2

Ph. 6025



6025
III


北 III
2




BALDVINI
CABILLIAVI
E SOC. IESV
MAGDALENA.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.
M. DC. XXV.



ILLVSTRISSIMO³
ET
REVERENDISSIMO
S. R. E.
CARDINALI
FRANCISCO
BARBERINO.

 LIM felicissima illa
Domini sui hospes,
ab inhospitali Ioppes
litore, nescio, maiore
periculo, an feliciore successu, Mas-
A 2 filiam

⁴
filiam appulerit Nunc eadem, se-
curiori, trans Alpes, contendit iti-
nere. Et à solitudine ad Urbem om-
nium Principem audaci cœpto pro-
perat: è tenebris nimirum, ad lu-
cem; è squallore, ad amœniora gau-
dia; è Pœnitentiæ suæ carcere, ad
Illustrissimum publicæ famæ thea-
trum: Et, ut olim Magdalena
illa cymba, apparatus nautico Et
armamentis destituta, nequidquam
ventis indignantibus, barbari ele-
menti spumantes evicit minas; ita
nunc, nullis licet septa præsijs,
sola in Italiam hæctenus sibi igno-
tam, per Alpinos scopulos, cur-
sum dirigit; atque adeò exclamat:
—Per

— Per tot discrimina rerum³
Tendimus in Latium. —

*Verum ne in portu naufragium.
Vereor enim ne ubi, in sacrosancto
illo Purpuratorum Patrum senatus,
omnium oculis se intuendam obtu-
lerit, iterum, ut olim, inuerecundie
sue damnum referat; ut quam cul-
tus venustior nullus exornat: à quo
imparata & naufraga, rubori suo
presidium ab Illustrissimâ BAR-
BERINA Purpurâ mutuatur.*

*Patere itaque, ut fimbriam Tuam
verecunda hæc MAGDALE-
NA, manu & ore, verrat; & in
tantâ peregrinorum turbâ, hoc lu-
bilei anno, pias, non iam Pœniten-*

A 3 tis,

6
tis, sed amantis, non dico gemmas,
sed lacrymas, PURPURAE
TVAE inspergat.

Ita voveo, Deumque Opt. Max.
obtestor

Illustriss. PURPURAE TVAE

Humillimus in Christo servus

Balduinus Cabilliauus.

7^h
LIBER PRIMVS.
MAGDALENA
PECCATRIX.

ELEGIA I.

*Sub Amorum myrto MAGDALE-
NA se comit.*



ERNE, puellares inter Dux incly-
ta turmas,
Illa Dionæi gloria prima chori,
Magdala myrtigenâ desidit in-
ma sub vmbra,

Et Cypriâ doctas erudit arte manus:
Crinali dispungit acu, fingitque capillos
Ad speculum, & crispo vibrat in angue comas:
Et minio mentita rosas, verisque pudorem
Purpureum, pictis floret amœna genis.
Aut fusco stibio candentes fascinat orbes,
Cerussave nouas spargit in ore niues:
Aut frontis dispungit ebur viridante smaragdo,
Armataque onerat diuite torque manus.
Dux Amor hæc inter vinctis trahit otia pennis,
Quæque leuem sequitur ludicra turba ducem.
Tot sese agglomerant lateri, chorus ales, amores,
Quot breue Cecropiæ ver populantur apes.

A 4 Susti-

Sustinet hic speculum, dentem ille ministrat eburnum:

Hic pigmenta vouet, ille stabella ciet.

Pars teretes vittas, pars textile sufficit aurum:

Vnus odoris opes suggerit, alter aquas.

Deniq; suppeditat gēmas genus omne, vel aurū,
Cyprigenæ fallax turba satelles heræ.

Vidi ego, qui vario plectens è flore corollam,
Illinit infidis toxica blanda rosis.

Vidi ego, qui picto prætexens ora stabello,
Ventilat arsuras ima per ossa faces.

Vidi ego, qui dans plectra, necis det sceptrâ sagittas.

Vidi ego, qui miscens vina, venena dedit.

Vidi ego, qui speculi clypeū dans, expedit ensem.

Sic cum blandus amat, perfidus odit Amor.

Vidi ego qui torques dās, spargat vincula plantis,
Quæ textit tacitis noxia longa moris.

Est, roseas viridi qui misceat angue corollas:

Est, qui purpureis senta det arma rosis.

Sic dolus armatis intexit retibus enses:

Armat enim sæuis blanda pericla minis.

O miseros! quos dulce nefas, Cypris ambit, & error,

Quosque capit blandis ille vel illa malis.

Magdalin in primis; quæ dum colit orgia mundi,

Oppetit igniuomis præda relictâ feris.

Sic mala dum sequitur fallacis præmia mundi,

Funeream in taxum Cypria myrtus abit.

Et quisquam vsque adeo demens, qui gaudia vitæ

Carpat, vt hinc mortis spicula dira legat?

Dona,

Dona, vel infidis lege mista pericula donis;
Hinc luctum, inde leges gaudia, vtrimque
necem.

ELEGIA II.

Cupidines in myrteto Amorum MAGDALENÆ insidias struunt.

Lvx erat, argenteis cui flamma coruscat ab
armis,

Quâ vibrat infestâ tela Cupido manu.
Hic vbi celsa leues posuere cubilia fratres,
Maternâ in siluâ queis torus arbor erit,
Myrtus amœna viret, Soly mæ laus inclyta siluæ:
Hospita silua lupis, myrtus amœna viret.
Hic omni folio, folijque sub omnibus vmbriis.
Ludit in arboreis turba petulca comis:
Et tremulâ pennâ leue palpitat agmen Amo-
rum,

Quos parit è conchâ Cypride spuma sali.
Hic fundit socio mistas cum baccare baccas,
Idalioque pluit munera lecta solo.
Pars violis sua tela, crocoque, rosisque coronat:
Pars fera miscet apum spicula tincta fauo.
Pars laqueos tenui textos de vellere spargit:
Aurea mala cauo grandinat ille sinu.
Pars memori sculpsit victurum in cortice nomen,
Sera diu vt viridem Magdalin hora legat.
Forlan & ora proci iungit, sponsive figuram;
Alter vt alterius ducat ab igne facem.
Est & Acidalio qui tela minatus ab arcu,
Sæua sagittiferas vertat in arma manus.

Hic pluit Eois intexta monilia gemmis,
 Ast alibi mortis tela Cupido serit.
 Forsitan his vrit iam Magdalin ille sagittis,
 Forsitan auratâ compede dulcè rapit:
 Ignaramque doli cæcis, heu! occupat armis
 Sons Amor, & fonti natus Amore furor.
 Et certè myrti passim insidiantè sub vmbra,
 Ceu scopus his iaculis obuius, illa sedet.
 Cypris enim diro iucunda pericula ludo
 Ludere docta, nocens vulnera mille serit:
 Igneaque vrendis desigit tela medullis,
 Sed quibus vda mero cuspis, & vncta fauo est.
 Seu potius dulci mors armat acerba veneno,
 Vnde rapit præceps error, & ardor edit.
 Sic propior propiorque nigro desidit Auerno,
 Cui flammât teneras Cypris arundo fibras.

ELEGIA III.

Amorum insidia.

PROPTER aquæ riuum myrti frondente
 teatro,
 Dum sedet arcani nescia Nympha doli,
 Et speculi mimo meditatur in æquore vultum,
 Arridet nitidâ fronte polita Charis.
 Hac inter tremulis chorus ales oberrat in alis,
 Alternâque redux fraude recurfat Amor:
 Et micat articulis, trepidâque loquaciâ carpit
 Fila manu, & surdas erudit arte lyras.
 Tale Si non infidus Amor dat ab arbore signum,
 Et piceâ è taxo flammât, agitque facem.
 Quin etiam aëriâ mors ardua de cyparisso

Into-

Intonat horrificas ad sua tela faces.
 Septenas ramosa vias vbi compita scindunt,
 Hac & septenas mors iubet ire feras.
 Effera turba truci circum bacchata tumultu,
 Heu! malè securum cingit vbique latus.
 Hinc sæui ira lupi, premit inde draconis hiatus,
 Hinc pardi rabies, tigridis inde furor:
 Omnigenumq; vlulat circum horrida sæcla ferarū,
 Quas parit è Stygio Cypris oborta lacu,
 Cocytusque nigrans pascit liuente veneno,
 Aut piceo nutrit torua Mægæra sinu.
 Quidquid & incesto sibi mundus adulter ab Orco
 Parturit, exacuit dente vel vngue minas.
 Hic scelus omne, timorq; , dolorq; , necisq; , libido,
 Et furor, & cæco nata furore lues.
 Quin etiam locus infidiis cæcisque periclis
 Opportunus: obit fraus malè fida nemus.
 Ecce, leui spargunt nebulâ caua retia myrtum,
 Quæ textit tereti Cypria lena comâ.
 Quot tenues animas filo capit aucepe nubes
 Textilis, & cæcis implicat illa dolis!
 Nec satis hoc: laqueos pedibus subtextit auaros:
 Rete caput, fallunt vincla dolosa pedes.
 Quis locus effugio est, Cælum si militat Orco,
 Et parat aëniis Styx fera bella plagis?

ELEGIA IV.

*Prosopopœia Timoris diuini, arcen-
tis Cupidinem.*

MILLE per ambages quacumq; volubilis error
 Merapit incertum, deuia regna sequor.

A 6

Sed

Sed quisnam strepit hinc, strepit inde susurrus ad
 aures?

An nemo Acolidum ludicra bella sonat?
 An crepitat saliens altis de rupibus amnis,
 Argutove canit plumea turba choro?
 Vox hominē sonat ista, meas quæ ludit ad aures.
 Fallimur? humanis vox sonat ista modis;
 Alternumque ferit concordi murmure murmur:
 Quæ licet, arcanos insinuabo pedes.
 Quis scit an hinc fors præda meis sit idonea votis,
 Et fera, quam miti mulceat ore Deus?
 Iamque ibam penetrare gradum: ter reppulit hostis.
 Nescio quis; dextrâ tela facesque gerit.
 Scilicet ille suis me finibus improbus arceat:
 Cypridis hinc, dixit, myrtea regna virent:
 Hinc & Cyprigenum sua regia frondet Amorum,
 Scenaque festiuis plaudit amœna iocis.
 Quin etiam hoc luco pulchris stat arena duellis,
 Qualia lascivius prælia miscet Amor.
 Flammarum est, quodcumque vides, bellique
 supellex,
 Unde suas domitant Cypria castra feras.
 His ego de myrtis, simul his ego de cyparissis
 Mille lego tædas, spicula mille lego.
 Unde Cupidineis accendo pectora flammis;
 Mollia dum molli vulnera figo manu.
 Dixit, & intentat armata pericula ferro,
 Ac mea fumantes flammæ ob ora faces.
 Me licet umbroso ferus arceat hostis a sylo,
 Intrepido rumpam frondea septa pede.
 Quod non currit iter sanctus timor ille, timoris
 Nescius, inuicto spes cui nixa Deo est?

Ex aliis alias victor transcurrit in oras.
 Non timet vlla sacer fata vel arma timor.
 Ni prece vel pretio perrumpat ahenea victor
 Pectora, fulmineis subruet illa minis:
 Atque adeò hunc viridi depellet ab arce tyrannū,
 Qui flammam iaculis myrtea regna suis.

ELEGIA V.

*Timor diuinus MAGDALENAM
 mortis admonet.*

MAGDALIS ad myrtum (Veneri gratissima
 ma myrtus)

Sedit, & ab vitreo parturit orbe decus.
 Assurgit turritus apex, fastumque superbam
 Fronte struit, stringit lactea bacca comas.
 Osque atro stibio, sputoque venenat & ostros;
 Mentitusque genas fucus adulter obit.
 Sape genas Dryades, vultus hos sape Napææ
 Mirata; hic celeres sustinere choros.
 Formosæ Dryades, formosam fronte Napææ:
 Sed pretium formæ Magdala sola tenet.
 Hæc inter fuscâ quis nescio canus in umbrâ
 Astitit: an fallor? mortis imago fuit:
 Seu potius leti timor; ales arundo sinistra
 Cui tremit, & dextrâ clesydra fracta sedet.
 Ille manu mulcens humeros comætis, & umbras
 Ora, leui dixit murmure: Come caput;
 Magdala come caput, variisque refinge figuris.
 Unica te mortis pallida larua manet.
 Pinge caput violis, variisque repinge lapillis;
 Nil faciet cineri picta corolla tuo.

A 7

O quam

O quantum est auri, pereat : ne splendeat auro
 Isacis, Isacios fallere nata procos.
 Quid iuuat aurato formæ decus addere mundo?
 Vt decor abstiterit, ruga recurret anus.
 Omnia mutantur, formæ & mutantur honores:
 Quod modò flos, floris mox cinis ater erit.
 Quid fidum infidâ voueat flos vernus in aurâ,
 Cui tremit è tremulo pendula vita pilo?
 Nunc vbinâ Rachel, Rachelisque aureus heres?
 Nunc vbinam Saræ iuncta Rebecca suæ?
 Nunc vbinam Iudith, & gloria Perfidos aula?
 Aut vbi nunc æui gratia prima tui?
 Arbor vt ista comans virides iam ponit honores:
 Sic abit & formæ gratia fluxa tuæ.
 Non est de nihilo (vah quàm sapit inscius error!)
 Crystallo è fragili picta quòd ora legas.
 Cerne, tuæ speculum stat imago parissima vitæ:
 Tunde manu; vitrei dissilit orbis honos.
 Te simul attigerit nigra falx necis, aura, vel ignis;
 Ilicet icta cauâ vita recumbit humo.
 Sis memor; est aliud mens quod præfaga futuri
 Augurat, & fati conscia cura legit.
 Tempus erit, cùm de lacrymis tibi fusile duces
 Crystallum, ac calidis te dolor vret aquis.
 Teque nouo speculo contemplans pallida, dices:
 Vah ego quàm soli discolor umbra meo!
 Et quàm non hæc forma meo respondet I E S V!
 Pulcher honor I E S V S: Magdala tota probrū.
 O quoties torto cirratos angue capillos,
 Monstraque, & horrificis ora perusta notis,
 Arguet hic vitreus Momus sub sole magistro,
 Et dicet: Tepidis dilue spectra genis.

Dilue;

Dilue, monstrificasque feras erade seuerum
 Ad speculum: castis flumina funde genis.
 Scilicet est aliquid puro sibi quærere fieri
 Balnea, dum Stygio vita stat hausta luto.
 Forsitan extinguet calidis mors Magdalin vndis;
 Sed scædam, vt niueis viua resurgat aquis.
 Tunc demum poteris puris innectere labris
 Oscula, vt innectas vincula casta Deo.
 Sic alium ex alio mens induet altera vultum;
 Et tibi te reddet, qui benè perdit, Amor.
 Hæc inter docili crystallo consule vultum,
 Et dic: Par fragili forma stat ista vitro.
 Nil mihi cum speculo, speculique fugace figurâ:
 Mox speculum è lacrymis stabo perenne meis.

ELEGIA VI.

Timor diuinus MAGDALENAM periculis septam eripi rogat.

MAGDALA myrtigenâ vultum dum fingit
 in vmbra,
 Prætexit speculo retia cæcus Amor.
 En tacitæ serpunt captiuo in corde catena,
 Quas ferit infidâ Cypris amica manu.
 Nectitur, & nescit, sidens in compede leti
 Magdalis, anguineis pectora capta dolis.
 Nunc erat infestis ferus hostis vt occupet armis
 Magdalin, aut blandis induat ille plagis.
 Iamq; hiat in morsum rabido tigris asperarictu,
 Et falcem allidit mors violenta suam:
 Ac vastam labes dirumpit hiulca Charybdim:
 Oscitat ad Stygias ianua panda domos:

Le:

Letæusque latex imo prorumpit Auerno,
 Quem nigra Cerbereis spuma venenat aquis:
 Quaque ruit ripâ Phlegethontide liuidus amnis,
 Alluit, & lambit flamma proterua pedes:
 Sollicitumque latus tacito fax ambedit igni:
 Illa tamen mediis hæret inuſta rogis.
 Vincla manu, fert vincla comis, fert vincula collo
 Magdala, & ipſa merum iam ſibi rete iacet:
 Prædaque iciunis occurrit idonea monſtris,
 Irritatque truces in ſua damna feras.
 Ah! perit ah! ſæuis obnoxia Nympha periclis,
 Mille petita dolis, mille voranda lupis.
 Ergon' in horrendos nunc Magdalis ibit hiatus
 Monſtriparæ lernæ, flammiumoſque ſpecus?
 Tun' ſinis hæc, ô vna Salus, Menſque arbitra rerû,
 Aurea qui torques aſtra potente manu?
 Ergo triumphato ſpolium tam nobile Cælo,
 Detrahet in Stygias victor Auernus aquas?

ELEGIA VII.

MAGDALENA *fulmine tacta ad Siloën
 ſacrum fontem confugit.*

HAS vbi ſollicito Timor occinit ore querelas,
 Et ſupplex auidas voluit ad aſtra preces:
 Ilicet ab læuâ dextrum Deus annuit omen;
 Intonat ardentem ad ſua bella minas.
 Denſa coit nubes, crebris micat ignibus æther,
 Horrificumque Polus mugit in excidium.
 Sylua tremit, tremit æthra, ſolum tremit, adtre-
 mit Orcus,
 Cypris, & in trepidâ Cypride Diua tremit.

Ecce

Ecce repens rapidis fragor ignibus increpat orbē;
 Icta flagrat myrtus, flagrat & iccta Venus.
 Flagrat Acidalius grex omnis, & aliger hostis,
 Monstriferæ lernæ, lerniferæque feræ.
 Deflagrat & mundus, mundiq; superba supellex,
 Magdaleumq; cremat flamma corusca caput.
 Nabra, lyræ, miniū, speculum cū pectine, torquis,
 Omnia nunc vnus cassus honore cinis.
 Quin etiam & mediis collucet Magdala flammis,
 Sollicitatque procax ignis inerme latus.
 Bis voluit sæuas depellere pectore flammās:
 Bis voluit frustra pellerē vana faces.
 Quid faciat? passis vt erat non comra capillis,
 Ardenti speculo Magdalis vsta fugit:
 Quaque pedes Solymos rapit error & horror in
 agros,
 Effugit arsurum fulmine tacta nemus:
 Donec anihela sacras Siloës deuenit ad vndas,
 Quas toties puro contigit ore Deus.
 Hic teneras elumbe latus submittit in herbas;
 Hic gemit, & gelido temperat amne faces.
 O quoties agros attollit ad æthera vultus,
 Et cum voce pias tollit ad astra manus!
 O quoties imis reuocat sua lumina terris,
 Rursus & in tepidis ora supinat aquis!
 O quoties auidas ardenti pectore flammās
 Discutit, & gelidā mersat inerme caput!
 Vritur, & nescit vario in discrimine leti,
 Quæ via prima spei, quæve secunda patet.
 An fugiat, sedeatve, pari mens fluctuat æstu;
 Hinc timor ire, iubet stare salutis Amor.

E L E-

ELEGIA VIII.

*Tres Celites Nympha MAGDALE-
NAM exanimem recreant.*

SIC vbi funestâ mœret sub nube doloris
Magdalis, & pectus turbida cura grauat;
Vndantesq; vomunt immensa volumina fumos,
Myrtea vbi dio silua sub igne cadit:
Inuoluit nox alta caput, seu noctis imago,
Et medium abrumpunt nubila caeca diem.
Ecce autem Cælo labi lux visa sereno:
Diffundit piceos flamma corusca globos.
Spesq; , Fidesq; , Charisq; pari iubar afflat
ab astro,
Irradiatq; nouum Diua ter vna diem.
Cuiq; caput tremulo sua stella coronat in auro,
Munificâq; manu dos sua cuique micat.
Hæc inter Solymis palatur Magdala campis,
Pulueremq; leui turbine verrit iter.
Sic vaga palantem per plana, per ardua rerum,
Occupat Isacio triga beata solo
Obuia, & effræni quâ proripit impete cursum,
Sustinet. illa stetit conscia, & erubuit.
Cui tribus è Nymphis, vox nuntia læta salutis,
Spes interpres, ait: Quò rapis ægra fugam?
Cura sit, ô! teneros via ne tibi deterat artus,
Aspera tot saxis, totq; vlulata feris:
Néve tuum nudâ detergas fronte pudorem,
Cui sua stat sparsis frons inhonora comis.
Siste precor: reducis spem collige & omina vitæ:
Auspicio CHRISTI stat tibi fida salus.

Vt

Vt quid adhuc tot anhela trahis suspiria, que-
stusque,

Et fibra sollicito palpitat icta metu?

Si qua pericla tremis, vel ouantia nubila flammis

Fulmineis; hosti sint precor illa tuo.

Spes tui secunda sui, spes tuta pericli,

Verfat inoffensas in noua sæcla rotas:

Vnde nouum dextris voluatur in orbibus æuum,

Quale trahunt superis aurea regna plagis.

Interea ambusto fumantes pectore flammæ,

Qui medico succo leniat, auctor erit.

ELEGIA IX.

*Ternæ Diuæ MAGDALENAM sa-
cro munere donant.*

SAUCIA vbi blandis demulsi pectora dictis
Spes, quam Cælituum prouida cura parit;
Restitit, inque gradu stetit obuia Magdala Diuis,
Attollens Cælo triste supercilium.

Ilicet intonuit læuūm Deus, alba sereni

Lux micat, & cingit pura columba caput.

Insper & cyano stola cui nitet æmula Cælo,

Et Dux prima viæ de tribus vna soror,

Munus habe, dixit; en annulus obses Amoris,

Qui propriam clausisignet in orbe fidem.

Dos ea non simplex. Sequitur soror alma sororē,

Cui semper viridi frondet oliua manu:

En, tibi pignus, ait, termes medicantis oliuæ:

Ille vouet lætâ fronde doloris opem.

Tertia quid spondet, gemmis auroque coruscans?

Dat tibi diues, ait, grande monile Charis.

Quæ

Quæ decus vt dotale sui transcripfit honoris,
 Permulcens tenerâ vulnera dura manu;
 Terna soror Solymis procul auolat, auolat oris,
 Et Superûm pennâ remige carpit iter.
 Vt lux hæc oculis euauit admirantis;
 Magdala suspirans hæsit, & obstupuit:
 Attonitâque oculis latè æthera circumspexit,
 Et tandem molli gramine decubuit.
 Hic tremit, hic suspirat, hiatq; in vota, querelaq;
 Inque ærumno as labitur, heu! lacrymas.
 Multa gemit, & multa suo cum corde volutat,
 Versat & alternâ dona ter vna manu:
 Illacrymatq; super, vultumq; supinat Olympo,
 Rursus & immergit ora supina solo:
 Desurgitque toro, & reuoluta recumbit in herbas;
 Denuò surgit humo, denuò pronâ cadit.
 Quid faciat, nescit, tot fluctuat ebria curis:
 Cunctaque cum faciat, nil tamen ipsa facit.

ELEGIA X.

Fides MAGDALENAM hortatur ad Spem.

TRISTE vitens Solymas cyparissus inum-
 brat arenas,
 Incestatq; nigrum silua maligna nemus. (brâ,
 Hic gemit, exspiratq; graui rea Nympha sub vm-
 Et laxat querulis anxia frena modis:
 Fixa caput trûco; Scythicâ ceu rupe Prometheus,
 Cui rodit lacerum præpes adunca iecur.
 Ambustumque latus, telo que tricuspide fumans,
 Versat in herboso cespite semianimis.

Quam

Quã propè flãma repens imo proserpit Auerno
Ebullitque nigro feruidus amne latex!
Sollicitumque latus sæuos admordet ad ignes
Flamma procax: dirus serpit in ossa latex.
Oppetit, & sicco luctantur verba palato,
Imbricatorque trahit nubila mœsta dolor.
Astrigero ab folio Deus aspicit exspirantem,
Et leuat ærato libera colla iugo.
Ecce, repens Cælo fundi lux visa sereno:
Discutit auratum noctis opaca iubar.
Tum demum in niueã stetit obuia Diua coronã;
Cui nitidis oculis Iris amœna nitet:
Aurea cæruleo cui vibrat inauris elencho,
Sapphirusque sacris stellat in articulis:
Et stola fidereis perlucet amœna pyropis,
Ac radiat canis flaua corona comis.
Eloquio os dulci, dulci sua lumina risu
Temperat, & blandis annuit alma genis:
Hac quã progreditur, Superũm stipata cateruã;
Et comes ambrosio de pede fragrat odor.
Mens illi non dura, sed exorabile numen,
Et facili crudos aure bibit gemitus.
Lata spei placido si quem delibat ocello;
Mox leuat horrifico libera corda metu.
Aspice; Magdaleas simul attigit illa catenas,
Vincula ferratã dissiliere manu.
Noxa vetus cadit, ira cadit, cadit ansa doloris,
Vt posuit sæuã Vindicis ira minas.
Quæ ferrum vt rupit anguinis textile nodis;
Cælitum suadet aurea sceptrã sequi.
Eia, quid incestã moribunda recumbis in vmbra?
Et violas viuo funere triste solum?

Me

Me duce sidereas noua subuehe vota per arces;
 Hæc via, securum curre salutis iter.
 Magna via it Cælo; magnis huc passibus itur;
 Et tua spes modico repit ad alta gradu?
 Aut potius dirâ te compede detinet Orcus;
 Vel timor ingenti pectora mole grauat?
 O vtinâ scelus hinc, hinc nobile pondus Amorê,
 Libra biceps iustis temperet aqua modis!
 Sit licet immensum scelus, & cor deprimat Orco;
 Vincet adhuc maior gratia grande nefas:
 Si modò concordî tibi fœdere iungat I E S V M
 Vna Fides, vnus pectus, & vnus Amor.
 Iunge manû: tibi dedo fidem, tibi sancio Numen:
 I, tenui radio quâ trahit, astra sequi.
 Antè tamen puro tua crimina dilue fletu,
 Quæ tibi mors piceis illinit atra notis.
 Vt Siloë Solymos illimis oberrat in agros,
 Feruidaquæ egelido temperat arua vado;
 Cur & non oculus fontis fluit instar in artus,
 Semustumquæ tepens frigerat vnda latus?
 Dixit, & vt digitum Siloës intendit ad amnem,
 Magdaleum ambrosio spargit odore caput:
 Libauitquæ sacrâ virgâ, spemquæ omine firmans,
 Sancit alternâ fœdera pacta manu.
 Ilicet arduentes gelidâ sibi temperat artus
 Magdalis, vt fidâ combibit aure Fidem.
 Iamquæ vigil vibrat illa, graui iam libera nexu,
 Emicat in superas ardua Dina plagas:
 Diffunditquæ pares gemino de lumine riuos;
 Quêis salit irriguis bina scatebra genis.
 Et Siloës lymphis oculo non parcior amnis;
 Magdalis vnde nefas delet, alitquæ decus.

Fortè

Fortè suburbanis si quis spatatus in hortis,
 Viderit has oculis ire viator aquas;
 Hic quæret: Gemino quâ manat in agmine
 fetus?
 An Siloë ad Siloen alter & alter eat?

ELEGIA XI.

Spes obuia MAGDALENAM solatur.

MAGDALA fulmineis latus vndique cincta
 sagittis,
 Ut satis incubuit cespitem gramineo:
 Ter conatur humo fessum sustollere corpus,
 Ter rursus viridi lapsa recumbit humo.
 Et tandem accumbit pacatæ accliuis oliuæ,
 Nescia quâ flectat languidulo latere.
 Nunc hac triste caput, nunc illac languida versat,
 Multa graui meditans pectore, multa gemens.
 Vidit (vti palmæ tum fortè sedebat in vmbra)
 Spes ægris animis non malè grata comes.
 Quæ simul ac mæsto tot legit in ore dolores,
 Impulit argutæ plectra diserta lyræ:
 Et sua vocali chely verba maritat & aures,
 Tinnula cui tremulum stamina crispat ebur.
 Quæque canit, resonis concors vox accinit antris,
 Argutantque pares æmula saxa sonos.
 Nympha quid infelix tantis ah vrere curis
 Saucia? Spes leni murmure blanda canit.
 Diuidiæ, ærumnæque, catenatiq; dolores,
 Ac dolus, & mundi te labor asper habet?
 Ac fallit Cypriis te myrtus adultera tædis,
 Teque premunt diro feta pericla metu?

Fulmi-

Fulmineisq̄ue minax terror circumuolat alis,
 Et laniant tenerum flammea tela sinum?
 Mitte graues luctus, tot & excure Numinis iras:
 Qui tibi vindicias asserat, auctor erit.
 Ille tuos oculos oculo propiore serenans,
 Dexteriore tuum iam pede radet iter.
 Ille Ariadnæ ducet compendia fili,
 Ille trahet sparsis stamina longa comis.
 Quà trahet, i, sequitor duce crine per auia mundi:
 Te labyrinthis eruet ille dolis.
 Et mundi leget exuuias, Superùmque superbis
 Postibus affiget, hoc duce, victor Amor.

ELEGIA XII.

*Amor diuinus se MAGDALE-
 NAE insinuat.*

MAGDALIS vt dextrâ bibit aure tot omni-
 na Diuûm,
 Tandem æru mnosum sustulit alta caput:
 Suspiransq̄ue residit, & omnia lustrat in orbem;
 Defigitq̄ue oculos palmifero nemore.
 Vda suauè liquens pertentant gaudia pectus,
 Exsultimq̄ue fibræ corde micante vibrant.
 Ast iterùm dextram quid nescio tinnit ad aurem,
 En blandus tacitâ voce susurrat Amor:
 Mitte metus, cura s̄q̄ue graues, & Vindicis iras:
 Irrita qui Diuûm fulmina vincat, erit.
 Ille nouam fundet medicata per oscula vitam,
 Quem claudis gremio Magdala pænè tuo.
 Ille potens franget, pacali cinctus oliuâ,
 Vltiores gladios, fulmineasq̄ue faces.

Ille,

Ille, subæratas quas cudit noxa catenas,
 Rumpet, vt aurato torque monile geras:
 Et quoscumque dolos, seu tela minatur Auernus,
 Ille potens dextrâ bellipotentem premet.
 Dixit, & aratis fridentia pectora vinculis
 Attingit: attractu vincula visâ rapi.
 Vincula leuat certè læti Spes conscia fati,
 Vincula catenatâ decutienda manu.
 Iamque graui è nodo gelidas respirat in auras,
 Libera, & exfertat Magdala læta pedes:
 Erugatque graues tranquillâ fronte querelas,
 Inscribens oculis gaudia pura suis.
 Ante alios vnum suspirat & ardet IESVM:
 Et tamen hunc nescit, quem suus ambit amor.

ELEGIA XIII.

Timor diuinus MAGDALENAM
venatur.

FORTE suburbano Solymæ spatiabar in agro,
 Lustrabamque vago ruris amœna pedes;
 Errabunda trahens variis vestigia campis,
 Dum sequor errantes picta per arua vias,
 Limus in obliquos trames me leuocat agros:
 Quò vocat, inflecto deuius erro gradum.
 Hic Dryadum frondosa domus viret ardua Cælo,
 Plurimaque vmbrosam myrtus opacat humû.
 Hic cedrus alta cedris, ornoque admurmurat
 ornus,
 Et miscent læcis brachia vincula comis.
 Succedo, tacitoque incertus oberro vireo,
 Quâ trahit ignaros semita curua pedes.

B

Hei

Hei mihi! quò raptor? quò nescius auocat error?
 Curro, recurro, redux me labyrinthus habet.
 Sic certè est, clamat quis nescio, credo viator:
 Fraus labyrintheo calle retexit iter.
 Scilicet hîc mundus, mundi que fugacis imago;
 Qui fugit, & vario ludit in orbe fugam:
 Anguineoque rotat male suada volumina gyro,
 Illaqueans cæcis credula corda dolis.
 Sic licet insidias via deuia texat in vmbriis,
 Frondea non trepido regna subibo pede,
 Irrumpamque nigros audaci indagine saltus:
 Cuncta sacer vincit damna timenda timor.
 Huc ades ô diu fida meis fiducia cœptis;
 Te duce, fallaces victor inibo vias.
 En vigil exploro tacitis venator in vmbriis,
 Si qua venit votis obuia præda meis.
 Ite sacri mea vota canes, & amica timori
 Turba, sagace vagas quærite mente feras.
 Ite piæ curæ, probri pudor, horror Auerni,
 Angor alens diras in rea corda faces.
 Et tu Terror agens irato Numine fulmen,
 Illustra radiis frondea regna tuis:
 Et comes i mortis metus, omnibus ocyor auris,
 Omnibus ille meus vertagus ito locis.
 Ito, sub his taxis, & funereis cyparissis,
 Quære deerrantes in sua damna feras:
 Præcipuè eximiam siluâ Bethanide Nympham,
 Torua sub humano cui fera corde sedet.
 Cui graue spirat adulter odor malè olentis
 amomi,
 Quem sibi mox nardo virgine vertet Amor.
 Quamuis, ô! si vera fides, & in omne pondus,
 Omi-

Omne quod signant sidera pacta fidem.
 Pardalis hæc modo bruta, feros quæ spirat a-
 mores,
 Nil nisi crimen olens, sponsa Tonantis erit.

ELEGIA XIV.

*Timor diuinus MAGDALENAM
 capit.*

Ille Stygis domitor, debellatorque ferarum,
 Sanctus, ab astringerâ qui tonat arce, Timor;
 Magdaleo pede pressa legens vestigia, tandem
 Restitit, & Soly mos lustrat anhelus agros:
 Deprenditque feram (fera Magdalis apta Tonanti)
 Dum Silcés gelidis aggemit illa vadis;
 Permissosque suis lacrymis bibit ægra liquores,
 Iam satis ut Soly mis fessa cucurrit agris.
 Illic arma Timor, casti venator Amoris,
 Expedit arma necis nescia, & vncta fauo;
 Vocalique sonans implet caua cornua vento,
 Illicò sîma phalanx prona per arua ruit.
 Vnâ angor, terrorque, dolorque, pudorque, timorque;
 Mortis, & ab Stygiis anxius horror aquis,
 Præcipitè glomerant volucri sub puluere cursum:
 Quadrupedante sonat agmine putre solum.
 Alter in alterius miscet vestigia curas;
 Concurrentque pares, hinc pudor, inde dolor.
 Obsidet infidiis iter omne, plagisque coronat
 Cura memor vitæ, vincere nata necem.
 Pars ad septa dolos struit, infidiæve sub vmbra,
 Pars ad fila sedet, pars vaga rura terit.
 Grandè sonans terror, fremebūdâ voce molossus,
 B 2 Hor-

Horrificas aſpro voluit ab ore minas.
Hinc graue latrat Hylax, illinc adlatrat Hy-
lactor:

Hinc pudor, inde premit turbida cura, dolor,
Elatratque pares mortis metus anxifer iras:
Præcipue in prædam conſcius angor hiat,
Cor petit is, vetito ſed iuſſus parcere morſu:
Victor enim victum cor ſibi ſeruat Amor.
Purpureâ hæc inter formidine Magdalin ambit,
Acroſeis pennis angit inerme latus.
Sic captiua ſuis irretit pectora votis;
Illaqueant cæcos lina dolofa pedes.
Forſan & hamatis ſefe fera ſaucia ſpinis
Induit, vnde nouus ſerpat in oſſa dolor.
Et certè Solymis rubus aſper inhorret arenis,
Magdaleumque ſecant ſpinea tela pedem.
Innumeros gemit egra dolos, gemit egra dolores
Magdala, queis vrit noxia corda timor.
Sed dolus hic dolus abſque dolo, & dolor abſque
dolore:

Si fugias, mors eſt; ſin capiare, ſalus.

E L E G I A X V.

Amor diuinus telo igneo ſauciat

M A G D A L E N A M.

Divs Amor Solymis dū fortè vagatur arenis,
Venaturque nouam prouidus erro facem,
Auribus accepit, celſâ ſtans rupe, querelas,
Quas Siloë ad fontem Magdalis ægra ſonat.
Ilicet huc rapidis pueraduolat igneus alis,
Quaque volat, rutilo ſpargit ab ore inbar:

Menti-

Mentiturque diem puro æmulus ignis Eoo,
 Nubilaque vmbroso discutit atra solo.
 Vt propius stetit, aspexit (lacrymabile dictu)
 Magdalin in lacrymis, Magdalin in gemitu,
 Dura catenatis cui liuent vincla lacertis,
 Septenaque grauat compede noxa pedes,
 Et latus horrifonâ cui cingit inermē coronâ,
 Mille trahens curas ad sua tela timor;
 Ille timor saeuas qui Numinis asperat iras,
 Fulmine iam fracto pacis vt Iris eat.
 Aerumnas variosque alto sub pectore fluctus,
 Inclusosque metus vidit, & ingemuit.
 Ecquid agat? quod semper agit Amor, auctor
 Amoris
 Nunc agit; & Nymphâ quâ prius odit, amat.
 Plus nusquam quod lædat, habet, quàm pectus
 amantis;
 Magdaleum in primis, cor cui molle fuit.
 Ter pharetram lustrat, ter spicula lustrat, & arcu;
 Enumeratque suas aureus hostis opes:
 Eximiamque manu legit armipotente sagittam,
 Cui proba dos auro nobiliore micat.
 Vnde sibi felix aureum promittit Amorem,
 Qui nitet auratâ cuspide victor Amor.
 Irrorat iaculo lacrymas, irrorat oliuum,
 Quale suis stillat nardus odora comis.
 Quin etiam binos radios aspirat, & ignes,
 Quos Amor ex oculis ducit vtrimque suis.
 Insuper inscribit: Hoc Magdali vulnus I E S V S
 Mittit amans, & amans vulneris addit opem.
 Et tandem volucri calamo & face Magdalin icit:
 Icit, at ignaram: Magdalis icita flagrat.

B 3

Mag-

Magdalisicta flagrat, & quas alit in scia tædas
 Nescit, vt ignorâ saucia dama manu.
 Pascit in expleto viuaces pectore flammâs,
 Nec reperit flammæ semina prima suæ.
 Et mage quod miratur, amat quæ nescit amante:
 Sic illam dubiis ignibus vrit Amor.
 Sequæ trahi sentit, sequiturq; ignara trahentem,
 Quâ rapit inuitos orbita cæca pedes.
 Errat, & erroris causas sibi fingit inanes;
 Omniaque vt didicit, omnia nescit amans.
 Se varias trahit in partes, variasque figuras,
 Quas vaga mentito nomine cura parit.
 Quærit amans, vacuasq; gemens interrogat auras
 Magdalis, incerto vulnere visa rapi.
 An furor est? nû febris Amor? vel mortis imago,
 Viua quidem, at lentam pascere nata necem?
 An sacra fax Diuûm, vel ineuitabile telum?
 Vitalisque dolor, deque dolore salus?
 An noua dos Superû, vel lux sacra Numinis astro?
 Siue rogos, fontes quo Deus vrit amans?
 Nescio, quidquid id est, arcanos vror adictus:
 Vror, & exustis ossibus ignis abest.
 Quod genus hoc flammæ est? Aetnæos excitat
 æstus;
 Et procul absenti me face tæda coquit.
 Dixit, & huc illuc oculos in morte natantes
 Flectit, & obliquo lumine figit humum.
 Fors aliquis dicet Solymâ de rupe viator,
 Humida si mœstis viderit ora genis:
 O miseram tristi pallentem in gramine Nym-
 pham,
 Cui flammant teneras ignea tela fibras!

Sospes

Sospes ab aduerso sed Spes sonat obuia saxo,
 Et lato auspicio triste retexit opus:
 O nimium felix, sua si bona Magdala norit!
 Quo modo visa mori est vulnere, vita redit.

ELEGIA XVI.

MAGDALENA *miratur ignotam
 Amoris flammam.*

MAGDALEVM pectus dominâ face flam-
 mat IESVS,
 Et rapido radio nubila densa secat.
 Magdalis iccta flagrat, ignotæ nescia flammæ:
 Pascit inexpertas in noua vota faces.
 Itque, reditque, vagisque deerrat & ardet arenis,
 Nescia stare loco, nescia stare gradu.
 Cernua nunc terrâ, nunc ardua spectat Olympû,
 Et volitante oculo Solis oberrat iter.
 Quærit, vbi gemini volitat per inania mundi,
 An tenet affectus terra vel æthra suos?
 Vritur, & nescit, se qui sic vrit, IESVM;
 Et gemit illacrymans, quaque vagatur, ait:
 Nescio quid sit Amor, furit, vritur, æstuat, vrit:
 Sistit, agit, reuocat; nescio quid sit Amor.
 Ambigo nû sit Amor volucris, fax, fidus, an ignis,
 An fuga par ventis: errat, & error abest.
 Sic tamen ignaram pulchros rapit ardor in ausus:
 Quâ rapit ille, sequar; raptâ, bis apta rapi.
 Vsq; adeo propriû nihil est, vbi sceptrâ gubernat
 Rex Amor: ille meas occupat vnus opes;
 Et mea corda regit, diu non sua regna: sequemur,
 Quâ vocat affectus ad sua frena meos.

Tam scio quid sit Amor; nolensque, volensque,
trahentem

Quem sequor, & fugio: est blanda tyrannis
Amor.

ELEGIA XVII.

*Pœnitentia MAGDALENAM hor-
tatur DEVM adire.*

MAGDALA surge, tuo simul obuia tende
parenti.

Per sua nosco Deum lumina: Christus adest.
Fulmina num palles? toruo blandeque severo
Igne micant oculi; spemque metumque seca.
Cæca quidē surdis scelus opprobrat ira querelis;
Sic tamen vt dextrum spondeat omen Amor.
Id sensit Paphio quondam malè saucius arcu
Iesseides mœchus, Iesseidaque nepos:
Idque Semiramij sensit Rex carceris heres;
Sensit & id læso Numine quisquis amat.
Cernis, vti placidis radiis argutat I E S V S,
Transpiratque suas in tua corda faces.
Grata Deo, puris ardebis victima flammis,
Quæ vixti anguiferis fœda Medusa comis:
Si modò de tristi sale des libamen Amoris,
Deque tuis lacrymis ceu mola salsa fluat.
Promptius an quidquã fletu, liquidave scatebrat
Et tamen immensum parturit illa decus.
Scilicet inuitat pietas lacrymosa Tonantem:
Quaque it fletus, Amor mox iubet ire Deum,

ELE.

ELEGIA XVIII.

Binium MAGDALENAE.

PRÔ quàm tetra tuos turpant contagia vultus
 Et quàm monstrificis larua stat atra genis
 Ite genis lacrymæ. cessas? rea Magdala cessas?
 Quod petitur, gutta est. guttula nulla venit?
 Si fluit hæc, modico scelus omne piabit in imbri:
 Ni fluat, in pectus confluet omne nefas.
 Cerne, biceps bifido secat hîc iter orbita ramo:
 Hac pietas, illac impius error abit.
 Hinc scelus in sicco te calle reuoluet Auerno;
 Inde dolor madidâ ducet ad astra viâ.
 Elige: dexter Amor Superis iter explicat oris;
 Ad Styga sed præceps læuus aberrat Amor.
 Ille viam lustrat tranquillo candidus astro;
 Hic pronum picco turbine cæcat iter.
 Cura redux gemino tibi cor an diuidit cæstro;
 Incertisq̃ue vetat stare vel ire modis?
 Pallentesq̃ue vetus mundi trahit orbita curas?
 At noua lux alio tramite pandit iter.
 Si cor in gemini diuortia scindis Amoris;
 Quem sequeris? curas alter, & alter habet.
 Num via fidereo te subuehit ardua mundo?
 An rapit ad Stygios te via prona lacus?
 Haud adeò, pia Nympha, tibi est auersa Deo
 mens,
 Sponte sequi vt læuo tartara calle velis.
 Digna magis Cælo, mage Cælite digna corb-
 nâ es:
 Dexteriore potes surgere ad astra viâ.

LIBER SECVNDVS.
MAGDALENA
P O E N I T E N S.

ELEGIA I.

Detestatio vitæ antè actæ.



NEMORA! ô valles! ô fidera,
pontus, & aër!
O cælum! ô tellus! ô necis atra
domus!

Et quicumque meis vos testes antè
piaclis,

Accipite, ah! nostri conscia signa probri.
E loquar? includit vincto dolor ore querelas.
Prò pudor! ah, quantû Magdalis ausa nefas!
Ah! vbi mens? animi me quò malus impulit error?
Quò rapit in præceps me male suadus Amor?
Ergo tot incestis ego fax malè pronuba flammis?
Sic, sic, hunc violant impia monstra sinum?
Innumerumque meo mundus de crimine crimen
Parturit, eque meâ dat nece mille neces?
Quà me cumq; reis oculis hinc lustro, vel isthinc;
Omnia noxa, dolus, probra, libido, scelus.
Vix libo viridem primæuo in flore iuuentam;
Et mihi iam vitij noxa senescit anus.

O vbi

O vbi vos lacrymæ, suspiriaque interrupta,
 Cum gemitu, & muto conscius ore pudor?
 Quid vetat, his oculis puri fluat agmen aquarû,
 Vnde meum felix deleat vnda nefas?
 Si blandæ insidiæ, dulcisque tyrannis amorum,
 Fallaces lacrymæ tot peperere faces;
 Quid ni iam crudo ros militet ille dolori,
 Quosque parit, perdat lympha pudica rogos?
 Heu! quot ego infelix intexo his ossibus artus,
 Tot mihi turpis Amor vincula, vel arma ferit.
 Heu! quoties crispas se cirrus adulter in angues
 Verit, & in laqueos abdidit insidias!
 Ah! oculus, iam non oculus, sed tæda furoris,
 Blanda quidem, at sæuam pascere nata facem!
 Et lacrymæ gratum de Cypridis igne venenum,
 Vincita quot in guttâ pellice corda trahunt!
 Quid loquar, vt pectus læuis scelus omne cerastis
 Induit? ô diris triste cubile feris!
 Lingua meo quoties rea subdidit ore stabellum,
 Vnde Cypris Stygio conflat in igne faces!
 Et quoties alios, alios suspirat amores
 Cor, aliis, aliis discolor opprobriis!
 Ah! cor hoc scelerû nisi mundus, & alter Auernus,
 Qui capit angusto crimina cuncta globo;
 Et Cælum depolco meo venale dolori?
 Antè Polus Stygio misceat astra lacu.
 Sic tamen audaci mihi spes temeraria cepto
 Ambit adhuc Diuûm, non mea, regna sequi?
 Astra sequar; dolor illa mihi vouet augur Amoris:
 Qui rubet ore pudor, purpura digna Deo est.

ELEGIA II.

MAGDALENÆ *cultus in neglecto cultu.*

INCLYTA spectabam summi conuiuia Regis,
 Nescio quæ nostrum femina radit iter.
 Aspexi propius, fallunt me lumina? fallunt?
 Magdalis est, spurcis illa tot atra probris.
 Non vquam tereti baccata monilia collo,
 Aut sapphiratis lucida spira comis.
 Non Tyrio succo stat cultus amœnus & auro
 Vna sed hinc nudis purpura nata genis.
 Nil opus hinc pictis dispuncta monilia gemmis,
 Quæque tument Tyrio texta superba mari.
 Quid nisi inops sanies conchæ Sidonidos ostru?
 Quid nisi formosus limpida gemma lapis?
 Ipse sibi iam torquis Amor, sibi & ipse smaragdus;
 Ipse sibi speculum, mundus & ipse suus.
 Non sic suaue-rubēs, violâque, crocôq; , vel auro
 Pingit humum, aut cyanum marmor inaurat
 Eos:
 Ac vultum niueo de rore venustat, & ostro,
 Qui rubet ingenuo conscius ore pudor.
 Ad tremulos Zephyri ludos crispante sub aurâ,
 Vt tegit ac reteggit mobilis vmbra botrum:
 Sic etiam alternâ ludens hinc inde figurâ,
 Quæ pudor ora premit, nudat & ornat Amor.
 Purus Amor, cui frons sine nube & diuite cultu,
 E micat è roseis gemmea lympha genis.
 Non tot Arabs, Sina, Persa, Cilix, Syrus, Italus,
 Indus,

Gal.

Gallus, Iber, Iapo dinumerabit opes:
 Quot tenui stillâ, gemmans vt fluxerit humor,
 Diuitias cornu cœlitate stipat Amor.
 Quale decus pictis pellucens vnda lapillis,
 Quale decus rubro candida bacca mari:
 Quale decus glacies viuo flammata pyropo,
 Quale decus nitido ridet imago vitro:
 Quale decus radians adamas ardente coronâ,
 Quale decus flauis lactea gemma comis:
 Quale decus viridans flauête smaragdus in auro,
 Quale decus pictis aurea stella vadis:
 Tale decus lacrymę, queis pulcher inardet IESVS;
 Hoc pudor, hoc pietas, hoc Charis imbre natat.
 Scilicet ad Christi radios, nubemque doloris,
 Pro micat è lacrymis discolor Iris Amor.

ELEGIA III.

Aegritudo MAGDALENÆ è Con-
scientia terrore.

MILLE per infestos hydros, & mille per ignes
 Deuia, quæ mortis triste cucurrit iter;
 Iam sibi præstituit Cæli ad sacra limina metam:
 Hic sedet, hinc longo fracta labore gemit.
 Sudat, hiat, pallet, plorat, rubet, ardet, anhelat
 Corde bibens flammam, ore vomens gemitus,
 Magdalis, & nescit, cur ardeat acrius omni
 Ilice, quam viuo sulphure busta cremant,
 Pestis edax euincit opem; populatque medallas,
 Quæ flagrat arcano conscia noxa sinu.
 Cui fauas Metancea faces accendit ab Orco,
 Flammeaque ab Stygiâ mors pice busta struit.

Hac illac ceruix, nimiã sub mole doloris,
 Et nimio capitis pondere lassa labat.
 Mordet humum nunc prona, polo nunc ora su-
 pinat,
 Nunc fessum vario versat in orbe latus:
 Nunc suspirat hians, singultusque agra resorbet
 Cum gemitu, & mutas voluit in ore preces.
 Iamque animã moriens tenues exspirat in auras,
 En labat ante Deum pectore semianimi.
 Languida sic tristi conuiuent lilia somno,
 Iussa mori in culmo lilia pallidulo.
 Auspicio ni Christe tuo rediuiua refurgat,
 Spes abit aeternum non reditura mori.
 Tange manu venam, venam sed tange sinistram,
 Quæ de sollicito corde ter icta tremit.
 Pulmonis bifido trepidum cor ecce flabello
 Attremit, vt dubio palpitat vnda mari.
 Exsanguis letalis hiems surrepit in artus,
 Et teneras vrit flamma proterua fibras.
 Tisiphonæa reum cortada deurit, & angor,
 Quem parit incestis anxia vita probris.
 Iamque pedi falcem mors subdit, vt occidat
 Orco,
 Ceu cadit attonso cædua messis agro.
 Magdalis icta, bis icta labat, præceptisque sepulcro
 Annuit, attonito pectore sollicita.
 Ni leti hærentem falcato in dente magister
 Eripiat, Stygiis oppetet illa feris.
 Sed sapit; in morbo quamuis cubat in scia vita,
 Augusto ab medico languida postulat opem.

ELEGIA IV.

*Gemitus MAGDALENÆ peccata
descentis.*

HEV ego! quos gemitus! suspiriaque hausta,
querelas!

Ah pudet! ah quantis Magdala fœda probris!
O quàm sæpè mei sensi tot damna pudoris!

Damna nec illa tamen cor pupugère meum.
Ardentes quoties sensi ab Phlegethonte sagittas!

Nec tetigit sensus tæda cruenta meos.
At nunc heu! pauor, ira, rogus, serique labores,

Et mors, & si quid sæuius Orcus habet,
Oppressit durâ luctantem in mole doloris,

Mole grauate caput, mole grauate sinum!
Hei mihi! nunc tanti vi ponderis exspirandum;

Ni sit qui vincat dira pericla Deus.
Me vetus antiquis adstrinxit noxa catenis,

Et noua (quæ noxæ est vltio) noxa grauat.
Vnde catenatos trahit ira renexa furores.

Sons quot alit culpas, tot parit illa minas.
Heu! oculis spectri feralis oberrat imago,

Spretaque fulminei Vindicis ara redit.
Scilicet ante scelus timor exfulat omnis, & angor;

Vt scelus admittit, mens rea serò timet.
Nil tremit ante facem Libycæ leo terror arenæ;

Fax vbi dira micat, iam leo certius abit.
Exsultat leuipes securis hinnulus vmbri;

Silua fremat bellis, anxius erro fugit:
Mobile tunc foliû fulmen, leuis aura procella est,

Et lepus in profugam torua fit vrsa feram.

Heu!

Heu! quid agam? querar, an fileam tot inerma
timores,

Quæque grauant nocuum pondera cæca caput?
Sole quot hiberno glomerantur in aëre nimbi,
Tot fudit lacrymas nubila cura meas.

Væ mihi! væ misera! væ queis caput vmbro te-
nebris!

Mille quibus noctes nox ego tota sequor.
Quàm graue, quàm longum, pondusque, agmen-
que catenarum

Implicat orbe pedes, implicat orbe manus
Anguineo, & lentos labor extendendus in annos
Illaqueat duris tædia cruda moris!

Heu! sese sine teste reus, sine Iudice damnat;
Supplicium ipse suum, carcer & ipse suis.

Insuper, ah! incumbit ineluctabile pondus
In caput, & fontem Vindicis arma grauant.

Ferrea an in mediis sistam vadimonia vinculis?
An fugiam armatas in mea busta faces?

An magis arcanis rimabor a syla cauernis?

Præsidium effugio sed tria regna negant.
Nulla latebra mari est: resonis scelus exprobrat
vndis.

Nulla latebra solo: pandit Auerna solum.
Nulla latebra polo: sceleris memor intonat iras,
Conspirantque pares cuncta elementa minas.
Quid sequar, aut fugiam, tot inermis in hosti-
bus hostis,

Cui mare, cui tellus, cui sonat æthra metum?
Quove caput condam tumulo? si lynceus vltor

Ima soli, & radiis persecat astra suis:

Testis vbi Iudex, læsoque in Iudice vindex,
Quæ

Quem latet arcani nulla latebra specus.
 Vos iuga, vos valles, testes, vos æquora testes:
 Sidera vos testor; testis & omnis ager.
 Non est quã fugiã, fallamvẽ tremẽte sub vmbra.
 Ergo redux folio CHRISTE recurro tuo.
 Erravi fateor, pleno scelus eloquar ore,
 Evoluamq̃ue meo monstra reposta sinu.
 Ite genis igitur magnis mea crimina rivis,
 Crimina fluminibus turbida vena meis.
 Ite pij gemitus, & anhela volumina questus,
 Quã dolor alternis dat remeare modis.
 Magdala quãta stat! heu! stat tota perẽne duellũ,
 Vnde tot in clades tela recusa meas.
 Nullius in superas bellant mage lumina sedes,
 Nullius os Diuis prælia plura ferit.
 Heu! quoties redit illius mihi labis imago,
 Mors animo toties ingruit atra meo.
 Sed mors hæc sine morte, necis graue prorogat
 ævum,
 Vnde mihi lenti sæcla doloris eant.
 Quis dabit abrumpam longævi vincula luctus,
 Quæque trahunt diros ferrea sæcla metus?
 Ritẽ mones Metancea, tuas aduoluar ad aras.
 Hic nouus antiquat pristina damna dolor.

ELEGIA V.

MAGDALENA *gestit adire*
 CHRISTVM.

AVGVSTVM auspiciũ felicibus apprecor
 ausis:
 Iam noua non solitis labere vita viis.

Aureus

Aureus argenteis voluetur ab imbribus orbis:
 Currite fletiferis vitrea sæcla rotis.
 Currite Amoris iter, nec erit mora longa saluti.
 Quis teneat volucres, quos Amor vrget, equos?
 Hinc requies mihi nulla, comis ni vinxero

CHRISTVM,

Et fidis lacrymis sanxero pacta fidem.
 Ibo celer, quocumque toro meus accubat ignis,
 Effringamque tuas hospes auare fores.
 Armipotens bellator Amor, ni limina pandas,
 Surda triumphali claustra refringet equo.
 Victor vt inuitis grassatur in atria valuis
 Aeolus, & thalamis sceptrum sonora regit:
 Sic vbi ferrato deuincta repagula nodo
 Rupero, iam domitis imperiosa feris,
 Opprobrij domitrix, debellatrixque pudoris,
 Regnabo dominam Regia Diua domo.
 Si rigidi hinc vestes, surdusque in limine custos,
 Et quadrupes pugnat ianitor ante fores;
 Nil moror isato pugnantes cardine postes,
 Et nimum duras ad mea vota feras.
 Arceat (arceat enim) malus hospes, & hostis a-
 manti:
 Durior illiso ter pede claustra ruam.
 Et simul, Auster vt haurit aquas, & Aquarius
 imbres;
 Sic & ego lacrymis Pleias aquosa pluam.
 Fortè mihi surgent læti hæc post nubila soles:
 Sirius è pluuiam Pleiade feruet Amor:
 Igneaque erumpet mœstis è nubibus æstas,
 Deque doloris aquis vita serena fluet.

ELEGIA VI.

*Æstus MAGDALENÆ euntis ad
CHRISTVM.*

ELOQUAR? incertum gemino cor distrahit
hamo;

Hinc amor, inde rapit frigida cura timor.
Ambo pari damno, votis discordibus ambo,
Cor gelat hic, alter flammæ, vterque necat.
Impare sic æstu glaciemque alternat & ignem,
Qui flagrat argenti mistus amore timor.
Hinc cor frigidius Scythicâ niue durat, & alget;
Acrius Aernæo deflagrat inde rogo.
Stat par lucta, pari luctatur vterque periclo:
Vincere pugnat amor, pugnat & ipse metus.
Vt flammæ nil flamma, nihil cedrus obuia
cedro,

Nil Austro Boreas, nil aqua cedit aquæ;
Sic vbi iusta pari conspirat in arma duello,
Nescia res vinci, vincere nescit Amor.
In varias sese quâ mens secat anxia curas;
Magdalis ambiguo statque labatque gradu.
Stabit, an ibit? amor trahit hinc, timor abstrahit
illinc:

Cor miseris scindit ille vel ille modis.
Quò rea se flectet? mulier temeraria Numen
Ambiet, vt nectat vincula grata Deo?
Bullataque fores excindet onante securi,
Affundens hilari tristia pocla mero.
Non ea mens, nec tanta suis fiducia votis:
Spes tamen impellit, quò vetat ire timor.

Nec

Nec tecum, aut sine te potis est rea viuere IESV:

Das animam, & dubio munere dando rapis.

Ah! cui nunc oreris vitæ alter Eous, an idem

Ambiguo in nimbo mortis eclipsis eris?

Quàm diu adhuc trepidam lis diuidet anxiam
mentem?

Perpete sub luctâ viuere, nõne mori est?

Morte magis nocet, haud vitalem viuere vitam.

Mors vnâ, innumeras vita dat ægra neces.

ELEGIA VII.

*Amor diuinus fugat monstra conuiuialia
MAGDALENÆ in limine Simonis
occurrentia.*

OBNIXI tandem victrix animosa pudoris
Vt stetit aratas Magdalis ante fores,
Ilicet intremuit custos in limine Ianus,
Quique cliens Iano, ianuaque ipsa labat:
Anxiaque attonitis fugere repagula valuis;
Fracta triumphali sub pede claustra iacent.
Audiuit strepitumque, seræ, strepitumque catenæ,
Latratumque canis, Magdaleosque pedes,
Comus, vitum fortè sales miscebat Iaccho:
Emicat attonito limine sollicitus:
Cui dextrâ fax viua micat, fax cincta corollis,
Et sedet in læuâ tinnula lingua chely.
Lutea palla viret nitidis intexta smaragdis,
Et picturatis stat coma vineta comis.
Diues opum, diues pictæ vestis & auri,
Auratam sequitur ludicra pompa ducem.
Picta sinum gemmis, gemmis radiata capillos

Hic

Hic Charis, & Charitos duxq; comesq; Iocus.
Et vibrat hic thyrsos fallace dolosus Iacchus,
Quæque comes Baccho garrula pica canit.
Et comes it Como Momus, cui dextra salino
Candet, vt urbano temperet ora sale.
Quin & scurra procax nigro sale, & asper aceto
Liuor, idem rabido cum cane carpit iter:
Candida cui blando distillat lingua veneno,
Atra sed immiti pectore fella virent.
Comus vt aspexit antiquæ dotis inanem
Magdalin in lacrymis, Magdalin in gemitu;
Hæsit, & in vultum visus defixit hiantes:
Cum grege lasciuo, nabra lyræque silent.
Perstrinxit stupor attonitum: at simul externato
Mens Como rediit, lumina torua rotat;
Elatratque procax aspro fera iurgia rictu:
Triste caput limo sannio dente ferit.
Iamque trahens rugas, vnco conuitia naso
Crispat, & excusso vertice probra vibrat,
Acres fremens, frendensque: Quid hoc? sic ergo
pudoris
Immemor, ad Domini Magdala nuda torum?
Dedecoris comes infamis pudor ibit honesto
Nunc epulo, fœdis spargere probra notis?
Magdalis ista fides? hæc vltima Bethanidarum
Gloria, & antiquæ nobile stemma domus?
Illa puellarum clarissima Cyprigenarum
Vah ibit Solymo lurida larua foro?
Præ scelus indignum! Sed prælia plura parantem
Subruit attonito cum grege diuus Amor:
Magdaleasque faces lacrymis extinxit, & ignes,
Quos serit hac Comi de face cæca Venus.

Ex-

Extinctam gemit ille facem, euertatque corollas,
 Nabliaque, & quidquid turba petulca trahit.
 Et simul aligero pede turbinis instar in auras
 Emicat, & Solymæ compita quadra fecat.
 At verò iam victor Amor, tremor ille Pudoris,
 Ceu potius casto pulcher honore Pudor,
 Victa triumphato Scribarum limina Como
 Ingreditur, cui dux pro face stella præit.
 It Timor, & nudo formosa Modestia vultu,
 It Pudor elingui doctus in imbre loqui.
 It Dolor, it pullo cui plurimus vnio populo
 Candet, & includit Spes comes alba latus.
 Quin etiam adserpit sparsis Metanœa capillis;
 Læna quatit pectus, spicula dextra gerit.
 Magdalis insequitur lacrymis suffusa ruborem,
 Auspice quam ducit dux Metanœa manu.
 Aligeri circum glomerant pia turba clientes,
 Et tacitis agitant orgia festa choris:
 Arcanoque sacras animant sub pectine chordas;
 Cælestes tacitâ cor legit aure sonos.
 Quaque subit sua regna novos Metanœa penates,
 Inque toro solium iam locat ipsa suum.
 Vela, stolas, torques, stellata monilia gemmis,
 Et Tyrias pallas vindice calcæ terit.
 At chorus ætherius, cassiamque, crocumque, rosamque;
 Spargit odorata munera rara manu.
 Dat costum cassiamque focis, & thure vaporat;
 Vnde piat castus claustra nefasta vapor.
 Gratus odor oculis passim respirat eburnis,
 Et vapidos afflat mellis odora lares.
 Mirantur Superi, Scribæ mirantur odorem
 Insolitum, & si quis mistus odore liquor.

Plu-

Plurimus ille sacro sese sed miscet oliuo,
 Quem sibi Magdaleo stillat ab ore dolor.
 Euge, piis oculis, oculis quos opprimit imber,
 Ignee dux radios his Amor adde tuos:
 Et face pro Comi, fumoque nigrante Voluptæ,
 Quem nox Tænario conflat opaca rogo,
 Magdaleis oculis æterni fideris instar
 Mox in Amore dabit aurea tæda diem.

ELEGIA VIII.

Medicina MAGDALENÆ.

CHRISTE saluber ades, nullis mihi cogni-
 te sæclis.

Magdala quærit opem: Christe saluber ades.
 O salve mea lux, iterum lux aurea salve,
 Christe mihi medicam prome salutis opem.
 Hei mihi! quot lunas, & quot mors annua soles,
 Ire dat ærumnis astra maligna meis!
 Cur mihi tam longas mortis mora prorogat
 horas?
 Debuerat rapidas sol properasse rotas.
 Aureus an fractis currus consistit habenis?
 Cur adeo lento serpit in orbe dies?
 Omnia quæ mutant, non mutant astra dolores;
 Sive redux vesper, sive recursat Eos.
 Alternos agitant sol & vaga luna triumphos:
 Ast meus immoto perstat in axe labor.
 Sirius apicis si decoquit ignibus herbam,
 Decolor herba novas mox bibit imbris aquas.
 Si teneram Boreæ vis sauciat aspera myrtum,
 Ab mihi Zephyro myrtus adoptat opem.

Gnos-

Gnossia Dictæam capram si fixit arundo,
 Dictamnus medico succida rore fouet.
 Sollicito neptis Prognos pennata nepoti
 Reddit adhuc teneris lumina rapta genis.
 Exuit hibernam serpens mors viua senectam:
 Vnde myops lumen luceat, herba viret.
 Laurus amara domat fastidia cruda palato,
 Siue tuo perdix, siue palumbe tuo.
 Quid loquor, vt calamintha feris stet amica
 lacertis?
 Et draco lactucâ dona salutis emit.
 Mitto loqui, Palamedis auis quâ stirpe medelam
 Hauriat, aut succos quos bibat æger aper.
 Exprimit origano moritura ciconia vitam,
 Et legit ab lauro coruus anhelus opem.
 Denique cuique salus, vel spes sua nota salutis:
 Magdalis ignotus sed sibi sola dolor.
 Et cui cuncta fluunt resfluuntque volubilis orbis,
 Stat scopus innumeris Magdalis vna malis.
 Nec dat longa dies crudas mitescere curas,
 Quas alit ardenti pestis inusta sinu.
 Scilicet insidięque, necesque, metusque, doloresque,
 Aerumnęque, pudorque, anxia corda coquunt.
 Vnde breues populatur edax mihi flamma me-
 dallas,
 Quęque sata his flammis ferrea mortis hiems.
 Hei mihi! quis tandē, post mille volumina luctus,
 Vlcera Præoniã claudet hiulca manu? (res,
 Spes mea Christe, meos nunc negligis ergo dolo-
 Morte premente caput, morte premente sinu?
 O mea lux, & vita, nouę nunc annue vitę
 Semina, & in laudes omina læta tuas.

Haud

Haud ego posco sacras immenso è sidere flamas:
 Mi satis è tanto lucida mica foco est.
 Os mihi si tenuis radius delibet I E S V,
 Vel saltem radio quæ fluit aura tuo!
 Caucasus Arctoon petra si cor staret ad Vrsam,
 Mox flueret rapido Sicelis Actna rogo.
 O mihi ver aperi, Phryxciq̄ue arietis instar,
 Adspira geiidis sidera blanda fibris:
 Vt nouus ardor Amor, cui mitior intepet æstus,
 Temperet affectus ad tua vota meos.
 Magdalis egra Deum, medicâ Deus imbuit herbâ
 Magdalin; vnde repens currit in ossa vigor.
 Haurit in expertos venis sitientibus ignes
 Magdalis, & dulci deflagrat ic̄ta face.
 Hinc vapor, hinc oculi sudor vitalis, & ardor,
 Hinc vege è fletu manat in ossa liquor.
 Fax agris incocta fibris, & frigidus aggor,
 Mors, & morbus edax, vulnus, & vlcus abit.
 Et viret aucta nouis iam succida vena medullis,
 Vnde fluat riguis lymphâ gemella viis.
 Inque pedes sine labe pedes redit; vnde salutis
 Fons ijt, huc riuus dulce retorquet iter.
 Quaq; retorquet iter, vehit vnda relapsa salutē:
 Fletus enim medici de pede ducit opem.
 Vt vidi medico tactu pedis ire salutem,
 Obstupui, & dixi: Pes medicamen erit?
 Aut liquor herbipotēs stillat de simplice lymphâ,
 Et se pes medicâ vertit vterque manu?
 Sed quid ego cæcis anceps cor distraho curis?
 Nonne salutiferas pes bibit vdu aquas?
 Nonne tuo fletus flagrat medicatus amomo,
 Et crocus his plantis officiosa natat?

C

Am-

Ambigis? ecce pio nardus comes affluit imbris;
 Arabia his plantis, & seges Inda sedet.
 Non tot odoratas messes legit vberē felix
 Fruge Cilix, Indus diues, odorū Arabs;
 Nardiferā quot spargis opes locuples alabaſtro
 In caput ambrosium, liligerosque pedes.
 Nardus enim, vel gutta croci, si tangit I E S V M,
 Nobilius medico sudat aroma croco.
 Magdala tange pedes: Arabum felicia fundis
 Balsama; quid mirum si fluat inde salus?

E L E G I A I X.

Remedia MAGDALENÆ peccatrici.

VT quid adhuc erras infestis anxia siluis,
 Solinagis toties obuia præda feris?
 Hic vbi Tænarios mors armat acerba dolores,
 Humanisque gemens ossibus albet humus;
 Mugitus, rabiemque, minasque, trucesque; furores
 Temnis, & armatas in tua damna feras?
 Vulnifico vidi sub dente dehiscere pectus,
 Et vidi rigidā vulnera secta manu.
 Nunc erat in sæuos ut tota leonis hiatus
 Iret (& ibat inops mentis, & ægra metu)
 Magdalis, & prono de sidere cœperat Orco,
 Iam data ter gemino victima dira canis;
 Ni laceros artus iratis faucibus Orci
 Bellipotens vindex eripuisset Amor.
 Clamat iō, Leo cede, truces abscedite tigres:
 Cedite. Cesserunt: saucia sola gemis.
 Quin etiam tradux mundi de peste venenum
 Inspirat tacitam cæca per ossa lucem.

Ahs

Ah! vbi vincita cauis Cypris illigat ora lacertis,
 Quale tibi blando virus ab hoste bibis?
 Nec fugis ab nocuo mundo, dulciq̄ue periclo?
 Iste locus, nescis? damna salutis habet.
 Hic ignominia, noxa, & lata vulnera noxis,
 Quis grauis exurit conscia corda dolor.
 Ecce, tuos serpit clàm pestis auara per artus,
 Grassaturq̄ue cauo flamma proterua sinu
 In mortē putre, cerne, gelat iam pectus; & isthic
 Sists adhuc? medicam saucia quære manum.
 Funestas cui culpa fores recludit Auerni,
 Anxia vin' mortem pellere? pelle inoram.
 Quid trahis infelix lenti dispendia leti?
 Tu si dulce velis viuere, viue DEO.
 Nonne per illecebras, & blandi philtrea doloris,
 Velle pati morbos, mortis amore frui est?

E L E G I A X.

MAGDALENA desiderat per satisfac-
 tionem peccata expiare.

O DEVS immensis iam tandem parce piaculis:
 Quamquam ô! sed mitis parcere iussit
 Amor:

Ille mei sceleris vindex, sed nescius iræ,
 Qui sine vindictâ plectit inane scelus.
 O me felicem! cui mite tribunal I E S V
 Stat torus iste, meis iam torus vduis aquis.
 O pudor! ô immane nefas! sic ibit inultum
 Crimen? & in pœnas vltor inermis erit?
 Et metuo, & spero: veniam promisit I E S V S;
 Et veniam vindex abdicat ira reis.

Antè niuem blandis lambet fax Siria flammis,
 Et parcat niueo torua læna gregi:
 Quàm Deus vlticis numeros non expleat iræ,
 Expendatque nocens, quas tonat æthra, minas.
 Dextra vibrat fulmen; sed læua reponit oliuam.
 Si tonat ira faces, gratia spondet aquas.
 Eia, niuem fidis lambat fax Siria flammis,
 Et parcat niueo torua læna gregi:
 En meliore rotâ noua fingitur vrna salutis,
 Fulmineas vincit mitis oliua faces:
 Si modò tristè gemens genibus prouoluar IESV,
 Et stiterim nudum supplice fronte caput.
 Cæsaries promissa nouâ dabit arte catenas:
 Frons benè nuda peplo, squallor & horror erit.
 Noxia stabo toro; (folium torus ille Tonantis)
 Licetor vtrinq; premet, hinc pudor, inde timor.
 Ferrea quid vincit vadimonia fingo lacertis,
 Hic vbi vindictæ nescius vltor adest?
 Curia cui thalamus, torus absq; timore tribunal:
 Hospes amans Iudex, pœna doloris Amor.
 Supplicium lacrymæ; (lacrymis quis dulcior
 humor?)
 O modò quàm felix vertitur vrna reis!
 Vindicis arma, facesque, & inexorable Numen
 Vincit inexhaustus supplice fletus aquâ.
 Sentio, me castis flammis vis enthea tædis;
 Serpit inexpertus cæca per ossa vapor:
 Et modò diuino tenerum cor vulnerat cæstro:
 Sed mihi quæ vulnus dextra dat, addit opem.
 Quæ planxi antè gemenisque, iacensque, tra-
 henisque catenas,
 Libera tollo manus, libera tollo pedes.

O pietas! ô blanda manus! ô gratia Diuùm!
 Quæ voueam iustis munera digna sacris?
 Vis tua millenæ cumulent altaria lances,
 Et sacros oneret India tota focos?
 Totaque thuricremis viuat Panchaia flammis,
 Qualis ad Ifacios fumat acerra rogos?
 Mitte leues Arabum vitæ sine pondere fumos;
 Vult sibi viuus Amor victima viua litet.
 Vitales igitur cadat hostia iugis ad aras,
 Siue sit hæc turtur, siue sit alba bidens.
 Quid tibi cum brutâ lanâ, volucricque fauillâ?
 Victima sola Deo, quæ benè libat, homo est.
 Muneribus supremus honos, & idonea Diuis
 Hostia cor purum est, cui sacer ignis Amor.
 Hoc solo capitur vindex, qui nescit emaci
 Nec prece nec pretio, thure nec igne capi.
 Viderit is tenuem flagranti è corde vaporem;
 Mox tetricis rugis quæ sedet ira, cadet.
 Quælibet esto minor tantis sit pœna piaculis;
 Diluet immensum lacryma parua scelus.
 O steriles animæ, queis hic non liquitur humor,
 Quo datur augustis ritè litare sacris!
 Ergo veni decus ille meum, spes ille salutis,
 Vnde fluat vitæ lactea vena meæ.
 Deque tuo purus radius dio influat astro,
 Hoc de corde sacras qui tibi gignat opes.
 Vel tenui radio me si fors tangat I E S V S;
 Ome felicem! qualia dona manent!
 Me terigit radius, flagrat entheus ardor in illo;
 Cor ictum tepidas liquitur in lacrymas.
 Ah! foret apta meis flagrans cor victima noxis,
 Quique fluit læso corde per ora liquor!

C. 3

Sed

Sed quota pars cor quæso mei est, fax pectoris
ardens,

Quod calet vt paruo testa pusilla foco?
Quò mihi mille boues, & millia mille bidentū,
Quæ crepitant Solyms ignea præda focis;
Vnica si vel gutta sat est, quæ temperat iras,
Et de corde flagrans mica vel vna sat est?
Opto tamen tumidos se cor effundat in auctus,
Augusto que breues ampliet orbe sinus;
Omnigenos que mei cor corporis induat artus,
Omnibus vt membris victima tota litem.
Aut oculus certè sim tota, volubile sidus;
Clariùs vt spectem lyncea tota Deum.
Ni satius foret esse manū, quò Magdala sanctus
Tota labor sacro militet obsequio.
Quid prohibet verti vocali pectine linguam,
Vt mea te solum lingua diserta canat?
Sed quid ego infelix tanto me dignor honore?
Illa ego tota probrum, dos ero digna Deo?
Non cor, non oculus, nec ego manus apta To-
nanti;
Sim nisi sub modico puluere, puluis humi.
Tu capitis caput ille mei, lux lucis I E S V,
Vita meæ vitæ, cor mihi cordis eris.

E L E G I A X I.

MAGDALENA *lacrymis fucum
omnem eluit.*

PURTIDA quam pyxis vomit ora per vincta
mephitim,
Et rea quod fictis illinit ymbra labris,
E ma-

Emacula, pictum q̄; genâ male-olente venenum
 Terge: subest lacrymis spongia pura tuis.
 Flebis; vti fons est oculus, quē crimina tangunt;
 Informi formâ flere perenne tuum est.
 Illacryma stibio: mendaci tincta figurâ
 Ora volubilibus diluet imber aquis.
 Illicet en surdo cadit agmine riuus honesti
 Obses, & illimi temperat imbre genas:
 Et niueis expugnat aquis vis limpida fletus,
 Quidquid adoptiuum frontis adumbrat ebur.
 Nec satis hoc; castus rubor ardet in ore rosanti:
 Qui stetit in peplo, transit in ora pudor.
 Iam lego purpureâ depictum fronte pudorem.
 O quàm flos Tyriæ discolor iste togæ!
 Qualis ab auricomâ Thetis iccta rubescit Eoo,
 Tale verecundo iam rubet ore decus.
 Corallo qui floret honos, rutiloque pyropo,
 Et flos Magdaleis purpurat ille genis.
 O quâto hic melior liquor, os qui tingit & ornat,
 Quàm sit ab Oebalio quæ rubet vnda cado!
 Aut picei fuligo foci, conchæve saliuâ,
 Vel par creta niui, vel rubra bulla nitri!
 Deniq; quidquid id est, pyxis quod lena pudoris
 Inquinat, aut tincto capsâ vomit gremio!
 Euge, tuum nunc ingenuo caput imbue vultu:
 Simplicee nobilius floret ab ore decus.
 Cerussam, stibium, fluxi tectoria vultus,
 Diuiduo sulcans tramite riuus arat.
 En aqua Sidonio concors it vena veneno:
 Qui rubor ore stetit, is rubor ardet aquis.
 Quæ lacrymas minio tingis, stibioque coloras,
 Eluis, an mutas? denuo picta nites.

36 BALDVINI CABILLIAMI LIBER VI.
Vah! ea simplicitas quàm callida! nescia fuci
Dum fucum expungis, maior adornat honos.

ELEGIA XII.

MAGDALENA lauando CHRISTI
pedes se lauat.

PVRIOR argento quàm labitur vnda doloris,
Pellucet liquido candida cura vitro.
Nimirum nitidis CHRISTVM stat tingere
lymphis,
Squallida cui niueos vmbat arena pedes.
Lene-fluens tacito iam voluitur agmine riuus,
Voluitur vndoso naufragus amne pudor:
Sed sine labe pudor, casti qui censor honoris
Purpureus, mediis pulchrior ardet aquis.
Cui dolor argenteis purus comes adnatat vndis,
Puriter vt sancto diluat amne scelus.
Eia, fat est; lacrymæ, rapidoque fluentia cursu
Flumina, fat Dominos implicuere pedes.
Nunc inhibe riuos, linoque bibace tor vndas
Opprime, linigerâ compede stringe pedes.
Detrahe sollicito quondam data vela pudori,
Vela verecundas abdere iussa genas.
Hei mihi! nulla tuo nubes prætexta rubori est,
Vlla nec impurum subtrahit vmbra caput.
Fallitur, ah, isto qui quærit flamma vultu,
Cui benè nudus Amor lucida flamma micat.
Sed tibi fit sindon frons, quæ sine sindone prodit.
O tibi quàm solers fit modò textor Amor!
Cerne, liquens oculus largo quas prodigit imbri,
Elamhit reduces crinis auarus aquas.
Quem-

Quemque rigat fletus, siccatur cincinnus I E S V M,
 Cincinnus bibulo par modo forma peplo:
 Qui quoties auidis siccatur vestigia cirris;
 Et toties optas, altera lympha fluat:
 Et tot eant rursus grauido de lumine guttae,
 Quot stant fronte comae, queis premis vda pedes.
 Nonne Deum madido dum tergis amica capillo,
 Teque tuumque; lauas squallida nympha caput?
 Quaeque sacro thalamo teter nisi squalor & Orci
 Fax immunda venis, nix modo munda redis?
 Nempe Deum tangis, te tangit & ille: niuosos
 Queis lauis atra pedes, alba lauaris aquis.
 Sic ubi tu vitrea roras aspergine plantas,
 Spongia fit C H R I S T I pes; tua corda lauat.

ELEGIA XIII.

Spongia MAGDALENAE lacrymis.

Hic ubi virgato discurrit discolor auro
 Purpura, & inuitat in sua strata D E V M;
 Gratuler, inuideamne? pari mens haeret in aestu:
 Cura biceps bifidis errat ut vnda fretis.
 Inuideam? & quare? dos dicitur aqua magistro.
 Gemmantem ille bibit aureus hospes aquam.
 Gemma manu rorat; it gemma per alta comarum,
 Et per adhuc teneros oscula ad vda pedes.
 Gratulor, o felix! niueis sic pingere baccis
 Cui datur, & casto tingere rore Deum.
 Utque diu tingas, voueo; sed prouida census,
 Parcius o oculis utere Nympha tuis:
 Neu nimium has lymphas tam rarum prodige
 munus.

C 5

Parce,

Parce, sat est; riguis iniice frena genis:
 Et temerè errantes auidâ lege sindone gutras.
 Claude tuos riuos: planta sat ista bibit.
 Dein lacrymas expunge tuas, bibuloque ma-
 dentes
 Terge pedes velo, prouida terge genas.
 Sit modus his thermis; tandem, ô tandem ebibe
 lymphas.
 Nolo cadat tristi planta sepulta mari.
 O quantû erroris! rursum it pudor alter in imbres:
 Quâ pudor it, rursum diluis ægra pedes:
 Nec tamen exsiccas, aqua an ebria rursus oberrat?
 Nolo laues lautos, sed citò terge pedes.
 Nulla tibi sindon, nec sindonis vlla niuali
 Candicat vmbra manu; sed coma sola bibit.
 Deinde pluis, pariterq; rapis quos fuderis imbres:
 Quæ fluit ore, bibit crinis auarus aquam.
 Quid facis? ah nescis? lino sitiente natantes
 Vis ficcare pedes, quos tamen vsque rigas.
 Euomit illuuiem, non balnea iusta ministrat,
 Absque modo assiduas quisquis inundat aquas:
 Sed quicumque lauat puro vestigia riuo,
 Si sapit, albenti tergit & illa peplo.
 Vtere sorte tuâ: deterge tot humida luctus
 Urbano genio, carbaseoque sinu.
 Sed pia nympa sapis! natiuam in sindona cirros,
 Cerne, tibi solers textor adornat Amor.
 Quas passim effusis siccas affusa capillis,
 Apta coma his lymphis, aptaq; lympa comis.
 Dignius his lacrymis nihil est flauente capillo,
 Spongia nec cirris dignior vlla tuis.

ELEGIA XIV.

MAGDALENÆ *lacryma gemma.*

MAGDALIS vt glacies Phœbeo saucia telo
 Liquitur, & vernâ plus niue delacrymat;
 Vrit Amor, liquidos qui cor distillat in imbres:
 Mille pudor guttas, mille decenter habet.
 Si potis influere hos oculos Tagus aurifer, aurum
 Efflueret fului purius amne Tagi.
 Si sudo hic vitreas ros spargeret aëre stillas,
 Nobilior baccâ diuite gemma foret.
 Huc si læta suos pluerent fors lilia rores,
 Iste liquor niueas illacrymaret aquas.
 Et quod non afflat lacrymis decus auctor IESVS,
 Aurato radio cor vbi flammatur Amor?
 Purius his nihil est, nihil est his pulchrius vndis,
 Quis rorat Dominos Magdala casta pedes.
 O felix animi! cui dos tam rara salutis
 Manat, & it liquidis limpida gemma genis.
 Qualis honos nitidi pulchrâ in ferrugine rores,
 Quos picto illacrymat Iris odora solo:
 Gratia quæ violis, immortalique amarantho,
 Aut illibatis alba per arua rosis:
 Tale decus puris appingit gratia lymphis,
 Quas castus roseo lustrat in igne pudor.
 Et tu terra bi bis pignus tam nobile Diuûm?
 Occidet informi gemmea gutta solo?
 Quid pote nobilior, quâ ros qui gemmat Amori?
 Et tener hic fusco puluere serpit onyx.
 Dic meliore viâ tam splendidus effluat humor:
 Pulcher honos pulchrum quærit honoris iter.

Sed sapit; en niueas irrorat lacryma plantas.
 Sic pia gemma suum dotat & ornat ebur.
 Nescio ad istud ebur num plus orneris, an ornes,
 Cui nouus argenteo de pede creuit honos?

E L E G I A X V.

MAGDALENA CHRISTI *sitit*
lacrymis explet.

NIL æquè ardet amans Deus, ac mera pocula
 luctus,
 Dulce sitibundus cor cui torret Amor:
 Idque epulas inter, festique theatra Lyæi,
 Magdala quid cessas? applue pocula Deo.
 Lumina vtrinq; tument biuios meditantia riuos,
 Riuos queis Hyalo purior vnda fluit.
 Crystallo liquente Dei caput omne coronas,
 Et satias lymphâ lene-fluente pedes.
 Par liquor in riguum pectus descendit I E S V;
 Ora madent, gremij vallis eburna natat.
 Anne putas, sitit vsque meras queis affluis vndas?
 Fors satur est lymphis C H R I S T V S, vt antè
 mero.
 Despuit ille grauis; fastidia cruda Lyæi,
 Et satur ille mero pascet ab anne sitim?
 Num liquor hic tanti est? sal vt lacrymabile
 luctus
 Plus omni sapiat nectare, vite, fauo?
 Hic quod agat, nihil est, succo dolor asper amaro:
 Nil ad pocula facit lacryma nata queri.
 Inuitat tamen illa, trahitque, tenetq; Tonantem;
 Suauior ô mannâ, nectare, melle, mero!

Si

Si vel gutta pluat, cor ebriat illa Tonantis.
 Non sat gutta tibi, flumina tota vomis.
 Rursus inexhaustis mergis vestigia riuus,
 Et rursus calidis te dolor vrit aquis.
 Sit satis hoc: quid adhuc turgēt tibi lumina fletu?
 Feta nouum in partum, credo, doloris eunt.
 Inde nouam cœnam sibi CHRISTVS, & altera
 poscit
 Pocula, & augusto xenia digna toro.
 Sic reor: an renuat tam prompti munera fontis,
 Torridus in Solymis ille sititor agris?
 O quoties (memini) dum mille pererrat cremos,
 Puluereo in nimbo torruit ora sitis:
 Et (nisi me fallant sæui læua omina fati)
 Ah! Sitio, Sitio, vox morientis erit.

ELEGIA XVI.

Vngentem MAGDALENAM *suâ gratiâ*
 CHRISTVS *ungit.*

In calidas ebullit aquas, liquidasque querelas,
 Igneus ardentis cordis alumnus Amor.
 Enthea viuaci vis eliquat igne medullas,
 Vnde fluunt riguis balnea pura genis.
 Et verò fluxere. bibit sat planta tot imbres.
 Claude genas, fontes Magdala claude tuos.
 Sic ego, sic mecum concors tibi suaferit hospes:
 Sat modò lauisti, lassa recumbe toro.
 Fors aliquis dicet conuiua benignus Amanti,
 Cui mollis tenero sit fibra ficta luto:
 CHRISTVS amans nardū sitit, & sitit ebria nardo
 Balsama: balsameâ perplue fruge pedes.

En tibi pyxis: adhuc cessas? malè prouida cessas?
 Expirat, tuani cinnama spiret, Amor.
 Imbris egens animam ceu flos exhalat odoram,
 Et furtim moriens languida colla trahit;
 Nec iam libat apis, nec cerua, nec addita ceruæ
 Filia, nec radio sol meliore legit:
 Sic viduas nardo lacrymas fastidit I E S V S;
 Et tener absque croco Numinis efflat Amor.
 Tu si sis saxum, sine tantus vt occidat hospes.
 Saxeæ sed non es: nardina grata pluis.
 Vt liquido ficcos artus perfudit oliuo
 Magdalis, & lacrymas miscuit ægra suas;
 Alteraque irriguo defudit balsama gutto,
 Atque nouas iterum depluit vber aquas;
 Nescio quid tenerum limis arrisit ocellis,
 Vt tot abire manu cinnama vidit Amor:
 Et simul infit: Odor quã spirat amœnus Amorẽ,
 Tam quoque gratus Amor spirat odoris opem
 Quot stillat liquidos nubes Panchæa vapores,
 Tot medicos succos appluet almus Amor:
 Vnde tuo quæras solatia grata dolori,
 Qualia spes duris spondet amica malis.
 En tibi pro meritis cor vinctus inungit I E S V S:
 Sic pia quas C H R I S T O das, tibi reddit opes:
 Sors ea quã felix, quæ sic sua munera fundit,
 Maius vt inde sibi fœnus auara legat!
 Cinnama fluxus olens, & olens refluxus Amorẽ,
 Si datur alternis ire redire modis;
 Nunc doni secura tui plue diues amomum,
 Cui dum currit odor, iugè recurrit Amor.

ELEGIA XVII.

*Pulchritudo MAGDALENÆ
interna.*

HACTENVS horrificis torquata Medusa
colubris

Magdala, nunc ibis digna virago Deo:
Si modo, quę nunc est, poliat noua curam;
Quę que fuit, liquidis deleat vnda genis.

Pristina si stat forma, cades obnoxia leto;
Sin cadat, apra sacro stabis imago toro.

Nunc igitur CHRISTI vultu duc æmula vultū.
En speculum; impexas hęc tibi come comas.

Quam citò formoso vitrum rapit omnia vultu,
Quam citò fulua nitens imbibit astra lacus:

Tam facili cunctas Amor induit ore figuras;
Pulchrior ille lacu, purior ille vitro:

Et tu lenta sedes incultis hispida cirris,
Hic vbi formoso lux tua fonte natat?

Castior ô siluam per læuia colla fluentem
Castiga, & gracili stamine stringe comas.

Non benè, crede mihi, nudâ quis fronte pudorem
Ponit, vbi cœnæ sit Deus ipse caput.

Dum vixti, vixti benè culta virente smaragdo,
Et stetit aurato frons redimita peplo.

Tu nunc illa Charis, tam comis amica leporum,
Vis posito mundo rustica nympa mori?

O vbi frons, & frontis honos? hæc vltima formæ
Gratia, vt incompto forma cadat capite?

Vt quid inornatis passisq; inhonora capillis
Vrbani violas in tua probra torum?

An

An pudor attritus ferræa de fronte pudorem
 Auget adhuc, nec te depuduisse pudet?
 Quid tibi cū squallore, comaq; vagante seueras
 Per lacrymas? isthæc symbola digna Deo?
 Sic tamen inuitas, vt ades non compta, Tonantē:
 Et tenui plorans murmure, dicis, Amo.
 Sit satis hoc: valeant teretes cum pectine vittæ,
 Et crinalis acus, velaque tincta Tyro:
 Nil tibi cum mundo, diues cui mundus I E S V S,
 Quo minùs ornaris, te magis ornat Amor.
 Stat donis mens pulchra suis, proprioque paratu:
 Ipsa sibi virtus præmia perfoliit.
 Nunc tibi torquatae facies micat æqua columbæ,
 Aurea cui cunctas gratia donat opes.
 Hic pudor, hic casto sedet alba modestia vultu,
 Hic & flexanimo suada stat ore Charis;
 Hic color ingenuus, parca hinc bona vincula
 linguæ,
 Adde verecundis nupta coralla labris.
 Lex hic iuris amans, vis hic adamantina Diuūm:
 Hic modus, hic fati prouida cura sedet.
 Et quæ nō radiat virtutum hic gemma, vel aurū?
 Magdala tu quanta es, tota monile nites.
 Dum C H R I S T I ad radios, tua lumina vertis
 ad imbres.
 Ex illo quantus Magdalin afflat honos?
 Quam pulchris formosa genis obcludit imago,
 Quas minio pingit purpura casta suo!
 Quam benè compta nites rosei Regina pudoris,
 Hic vbi non comptis silua stat hirta comis!
 O felix speculum! quæ sic ornare, nec ornas!
 Hoc tu plus cordis, quo minùs oris habes.

E L E.

ELEGIA XVIII.

Conuivium Simonis.

O BSEQVTO maturus Amor venatur IESVM
Saxa per & valles, cōpita, templa, domos:
Et tandem reperit (epulo sedet ille) Tonantem;
Huc ruit, & vincas subruit arte fores.

Fit fragor: irrumpit thalamum, dotalia CHRISTO
Dona ferens festâ cum face pulcher Hymen.

Euge, tuum Simon, nolensve volensve, liquenti
Cum casâ spectas Magdalin ante torum.

Nec tantum spectas, sed liuide Scriba malignis
Obliquas oculis nardina mista croco.

O quoties dicis: Quò, quò temeraria? tantum
Tun' scelus ausa? meas sic violare dapes?

Cæca satin' sapis ô! malè prouida ad oscula
CHRISTI

Ibis inornatis hispida vt vrsa comis?

Non tenui vittâ flauentes vincta capillos,
Non retinens nudis flammea casta genis?

Non Tyrios (prò quale nefas!) induta paratus?
Nec Salue vlla sonas, nemo reponet Aue.

Ocyma dira serent concordi hinc inde cachinno,
Quotquot Idumæo decubuere toro.

Nil nisi singultus suspiriaque ægra resorbens,
Inestas tragicis orgia festa modis.

Num benè laxa grauis violat conuiuia fletus?
Irrumpitque procax non sua regna dolor?

Quid Baccho, & lacrymis? an habent & gaudia
fletus?

Hospes abi, & lymphas ebibe sola tuas.

ELE-

ELEGIA XIX.

MAGDALENA CHRISTO *mittit
epistolam.*

MITTIT amans ceras, sed quas, heu! mortis
 ad urnam
 Pulveream tristi pulvere spargit Amor.
 Orbis Amor, duri quem vis grauat aspra doloris,
 Fraternalisq; graui torret ab igne cinis:
 Et qui fulmineis ceu fax è nubibus ignem
 Haurit, vt inde vomat, quas bibit imber aquas.
 O sit fas auidis oculis libare querelas,
 Quas muto gemitu scripturit ager Amor!
 An nigra ceratis inserpit sepia sulcis,
 Intingit se fauo suaue-liquente stilum?
 Artifici an tabulis instillas rore Lyæum,
 Mellitæve bibunt dulcia sensa notæ?
 Cernere an est roseo florere pugillar in ostro,
 Aureæve ostrifero scripta micare libro?
 Inspexi facili facundas imbre tabellas.
 Hei mihi! de lacrymis omnia vota natant!
 Luctifer inde latex cerâ num cerite noxas,
 Et vetus opprobrium denuò mæror arat?
 Carnificesq; trahens ægro sub pectore curas,
 Quæ pudor erubuit probra tulisse, feret?
 Sit piguisse semel satis & super: vna ruboris
 Lex satis est, rursum nolle pigenda sequi.
 Cur igitur pluuio dolor exprimit ore querelas,
 Mæstaque de mæsto pectore vota fluunt?
 Heu! tibi tot falso qui dictat ab imbre lituras,
 Ille iacens gelido marmore, frater erat.

Hoc

Hoc à fonte cadit liquor æger, & humida luctus
 Littera, quid surdum iussa silendo loqui.
 Hinc dolor, argutoque fluens de rore querela,
 Quam notat humectis sparsa litura genis.
 Qui numerat fluctus, & qui metitur arenas,
 Is tua vota sub his enumerabit aquis.
 In bibulam ceram iugi manare videres
 Imbre genas, candor quas niuis instar habet.
 Non frons prima libri, soleanis littera, Salve,
 Siue breui titulo dulce propinat Aue;
 Non hinc, CHRISTE veni; quid vota moraris
 Amantis,
 Et nimis, ah! lento cur pede fallis opem?
 Non hinc Theta nigrum tristis nota mortis ad urnam
 Feralem, heu! frater, puluis & umbra iacet,
 Et situs, hic vox vna sonat, quam lacryma signat:
 Aeger amicus obit, quem pius hospes amas.
 Sit satis hoc: quid plura? moras Amor odit aman-
 tum:
 Vt celer est, celeri sic volat ille stilo,
 Hic ubi scribit Amor, vel apex satis vnus amanti,
 Et licet immenso par nota parua libro est.
 Ecquid opus longos chartis intexere sulcos?
 Cuncta Deo scripsit flebile nomen: AMAS.
 Illic Mercurio duce nuntius auocat ales
 Pegaseam pennam, quam leuis aura vocat;
 Per vada, per campos, per aperta, per inuia rerum,
 Optato donec limine sistat iter.
 Accipit obuinctas gemmas linoque tabellas
 CHRISTVS, adhuc Soly mis auis exsul agris.
 Illicet ut tristes tabulas aspexit IESVS,
 Consciens arcano cera quid ore premat,
 Lustrat,

Lustrat: & vt legit facundo scriptile fletu
Nomen AMAS; itidem scripsit & æger, AMO.

E L E G I A X X.

*Alterâ Epistola MAGDALENÆ ad
CHRISTVM pro suscitatione La-
zari.*

MENS erat ignotis I E S V te quærere terris,
Seu fera silua tegat, seu specus alta pre-
mat:

Iamque meæ primo stabant in limine curæ;
Te mea spes volui, non tamen apta, sequi.
Vix cœpi ire gemenſque, labanſque, tremenſque
& anhelans,

Heu! cecidi in dubios lapsa relapsa pedes:
Labentemque solo dextrâ lauaque clientes
Sustinuere manu, sustinuere sinu.

Vox simul vt rediit; Mi Lazare, respirantis

Heu! vox prima fuit: altera, CHRISTE redi.
CHRISTE redi, ô quando! nimis, ah nimis asper
amanti,

Irrita mendaci vota moraris ope!

O quis erit tandem ille dies, qui sistat I E S V MI
Sed quid? abest mea lux, fors & abesse volct.

O quis erit istas qui lenè susurret in aures,

Quod voueo toties anxia, CHRISTVS adest!
CHRISTVS adest; & adest CHRISTO comes ar-
biter æui,

Ac necis & vitæ præses & obses Amor.

Sed quid ago? blandis magis aspero vulnera telis,
Dulciaque in luctus somnia pasco meos.

CHRIST-

CHRISTVS abest, & abest Amor his procul
 exsul ab oris,
 Spesque comes fidi pignus Amoris abest.
 Si tamen ille gradum Solyms aduertit arenis,
 Bethaniis ibit obuia turba plagis:
 Aut medio occurrat (magis hoc decet) obuia
 campo.
 Sed tardant auidos inuida vincla pedes.
 Mœror enim duris innectit corda catenis;
 Quique cor hoc vinxit, vinxit & ille pedes.
 Et dolor infrenat elingui verba palato:
 Quod super, in digitis vox sedet vna meis.
 Mœsta tibi mœstas mittit tua Magdala ceras;
 Muta quidem, lacrymis sed tamen apta loqui.
 Littera si claudo pede fors labat, ebria fletu,
 Ancipiti que notat nescia stare stilo;
 Aut nota trunca sedet, moriturve sepulta lituris;
 Turbida signa manus præmorientis erant.
 Hoc solû (quod dictat Amor) sedet hisce tabellis:
 Vnica vox I E S V, cetera fletus erant.
 Per tibi quæ blando pietas cor imbuit igni;
 Per tibi qui tenero pectore spirat Amor:
 Perque meo toties tua quæ data dextera fratri est,
 Hospita Bethanio dum stetit ara toro:
 Perque meos, Martha que pios, duo pignora,
 fletus;
 Perque tuas lacrymas, quæ decuere meas:
 Per benè si de te meruit mea nardus I E S V;
 Accipe non durâ, quas damus, aure preces.
 Quæ rogat, est hospes: super hospite dona re-
 poscit,
 Qualia sæpè dedit xenia gratus Amor.

Da

Da veniam; fateor, non sunt mea munera tanti,
 Vt Domino iniungant grande laboris onus.
 Tu tamen vna salus, & publica cura dolorum,
 Hospitibus renues ferre salutis opem?
 Frater, vti cernis, vastâ sub mole sepulcri
 Occubat, inuiso nomen inane solo.
 Quem populatur edax olidâ lue mortis alumnus,
 Et putris, heu! terrâ peste venenat amor.
 Tempora si numerem (numerat dolor omnibus
 horis)

Tertia iam lacrymis sæcula iëre meis.
 Manè dies surgit nitido rediuuius Eoo,
 Quem nigra nocturnis vespera mergit aquis:
 Etiam quarta mei luctus deuoluitur ætas;
 Nec tamen vlla redux omina firmat Amor.
 Luna nouo complet cornu reparabile torno,
 Menstrua quod rapidis deterit hora rotis.
 Ostrifero comit ter nuda roseta galero,
 Quæ spoliat pictis inuida bruma comis.
 Et quæ non viridi caput exserit herba teatro,
 Improba quam cæco carcere clausit humus?
 Terra suos, simul æthra suos instaurat honores:
 Emicat hæc astris, stirpibus illa viret:
 Quin ergo mea vita, iubes (miserere precantis)
 Currat in exsanguis viuuda vena sinus.

ELEGIA XXI.

MARTHÆ querela.

L AZARE mi frater, mœstæ ò te siste forori!
 Ah! in fraterno puluere, quæro nihil.
 Iam nihil ille decor vultus, flos, gratia formæ;
 Quæ-

Quæque Charis suado sessitat ore, nihil.
Et nuper tam grande decus Bethanidos aulae,
Vix leue nunc digitis in tribus hæret onus.
Ergone fraternas, cheu! pro fratre fauillas
Admittet viduo nunc soror orba sinu?
Nomen autem tam grande, tot & spes tanta nepotum,
Nunc breue nescio quid, curta quod vrna capit?
Vouerat innumeros longæuis solibus annos
Palma virens æui, quam tulit atra dies.
Non illum patrius torquis, non census honoris
Censor, & antiquis cera tuetur auis:
Non illum teneræ lanugo Cydonia malæ,
Non illum hospitio tessera pacta fidem;
Non pietas, non æquus Amor, non cura sororum,
Non domus hæc toties hospite digna Deo.
Mors nimis, ah! durum genus, & vis nescia flecti;
Quam nec opes, nec tot gloria flexit opum;
Dulcia concordēs voluebant pensâ sorores,
Et potis es plenâ scindere fila colu?
Nemo sed infestæ vitarit arundinis iras;
Occupat illa viros, occupat illa senes.
Mors numquã exhaustâ desequit inerma pharetrâ:
In noua quod promat vulnera, semper erit.
Cur non ergo pari sors vulnerat arte sororem,
Et soror in fratris funere funus obit?
Scilicet infaustæ quò parcat amica sorori,
Mors fratrem innocuum plectit acerba caput.
Vltio maiores sic blanda resæuit in iras;
Quæ mala dum minuit, auget iniqua scelus.
Mors oculos, fratres geminos, non diuidit impari:
Si perit hic, alter par necis vmbra perit:

Et

Et mea lux vitæ superâ iam pascitur aurâ,
 Cui nece fraternâ pars bona lucis abest?
 Et fratrem rapit, ah! oculis qui carior istis,
 Aut oculis si quid carius esse potest?
 Quis saltem dabit his aduoluar vt ægra fauillis,
 Et bibat, heu! lacrymas quas sitit vna meas?
 Vt concors inscribat Amor rorante sepulcro:
 Si cinis est frater, tota fit vnda soror.

ELEGIA XXII.

Præsentia CHRISTI spem facit susci-
tandi LAZARI.

BETHANIA, memini, par nobile nuper in aulâ
 Aurea sæcla tulit, frater & æqua soror.
 Fortunata domus, socio si currere fuso
 Stamina adhuc plenâ sors finat alba colu.
 Sed benè concordia currentia sæcula filo
 Præscidit haud æquâ Parca nouerca manu.
 Mors damnat virides primæ lanuginis annos
 Perpetuis tenebris, puluereâque domo.
 Ah modò dulce decus, nunc illætabile nomen
 Raptus abit frater; raptaque & ipsa soror.
 Quid tibi nunc animi, cui sors tulit inuida fra-
 trem,
 Et cum fratre tuo mors decus omne tulit?
 In lacrymas abeunt præcordia saucia luctu,
 Turbidaque vndoso pectore vota tument.
 Quis tantos tumido depellet pectore fluctus?
 Vlcera quis molli leniet aspra manu?
 Anxia quis mæsto deterget nubila vultu,
 Quasque bibit salso lumine mæror aquas?

Antè

Antè tibi scindent fatalia stamina Parcæ,
 Immemori fratris quàm cadat vrna sinu.
 Ah! oculis semper fraterna recurret imago,
 Semper & hæc vacuas faller imago manus.
 Semper enim gelidis colet hospita saxa fauillis
 Frater, & in raptò fratre sepulta soror.
 Ferali ab solio sic mors iubet arbitra rerum:
 Quâ cecidit, semper vita recumbet humo.
 Sed ramentum armipotens inuictò Numine vindex,
 Hæc qui sceptrâ necis ferrea frangat, erit.
 Ecce coronatus nardoque rosaque serenum
 Adspirat Zephyrus fratris in ora diem.
 Iplus adest, quondam fratris pius hospes IESVS;
 Qui necis abruptat vincula, victor adest.
 Hic potis ingentem curarum euoluere molem,
 Et modico nutu frangere tela necis.
 Ille supercilio quo concutit æthera, terram
 Mouerit, emotâ vita redibit humo.
 Si modò tangat Amor (tangit pia flamma To-
 nantem)
 Ille tuis curis prouida cura calet.
 Adspice Martha, cauam cui mens abit exsul ad
 vnam;
 Tuque ad cò Marthæ panè sepulta sorori;
 Vt madidas laxat pius obles Amoris habenas,
 Fratris vt extincti sit nouus ille parens:
 Vt teneros oculos mæror nouus imbuit vndis,
 Vt tibi dulce fluit pignus amicitia.
 Ocyorecce tuo (licet ille celerrimus) imbrî
 Spes ruit ad tumulû vincere prompta necem.
 Explicat illa sedens tristi super aggere pennas,
 Et lacrymas alis siccat amica suis.

D

Vt

Ut clàm flos hiemans, auro quæ pingit & ostro
 Ad solis radios, serica pensa trahit;
 Erumpitque foras matris viridante sepulcro,
 Gramineasque struit verna corolla comas;
 Promittitve graues ramis genialibus vvas,
 Quæ viret apta rudi lanca gemma botro:
 Sic nouus emerget vitæ natalis ab vrnâ,
 Succidaque è sicco puluere fila leget;
 Deque cauo saxo viridi florebit in æuo
 Frater, vt inde soror gaudia sera bibat:
 Decerpitque nouos vitali è funere fructus;
 Puluis enim vitæ semina lata vouet:
 Et geminam seret vnus de funere vitam,
 Sospes vbi viuet sospite fratre soror.

ELEGIA XXIII.

Ex lacrymis MAGDALENÆ vitæ
 LAZARI.

INSOLABILIBVS suspiria mersa querelis
 Mille per ærumnas vndat in ora dolor:
 Et gemitum, gemitum geminas lacrymosa, que-
 relasque:
 At quis amans dextrâ ludit in aure sonus?
 Spes erat. an fallor? non fallor. idonea votis
 Spes erat: arguto murmure læta canit.
 Lenè supercilium salit, ac fibra vibrat, & omen
 Nescio quod vitæ candida spondet auis.
 Iam tibi lanificæ noua fratris in orsa Sorores,
 Candidiore trahent vellera pura manu.
 Frigida mors calidos iam iam mirabitur artus,
 Et regno fugiet mox tremefacta suo:

Ad.

Aduoluentque diem venturis solibus horæ,
 Exsomnes horæ, quo fluet orta salus.
 Nunc age sis, trepidos cinis imbibat arida fletus;
 Et liquor hic certæ vena salutis erit.
 Fac calidos spargas sitientibus ossibus imbres;
 Tum veges irriguis affluet ignis aquis.
 Nam dolor ille piæ Numen placabit ad vndas,
 Et memor hospitij tessera nardus erit.
 Flere lubet? fas est, pietas iubet: elice fletum.
 Elicis? vda fluit fratris in ossa dolor.
 Crede mihi, his plus est quàm quod videatur in
 vndis:
 Manat aroma tuis nubila Nympha genis.
 Diues Amoris aroma tuo medicina dolori;
 Vnde fluat, viuo ceu sata fonte, salus.
 Nempe piis lacrymis fratri cum mœsta parentas,
 Præmia te vitæ dat meruisse Deus.
 Quidquid enim scelerata necis specus halat, &
 Orcus;
 Fletifer exstinguet, qui rigat ossa, latex.
 Balsama, balsameoq; super crocõ implue nimbo,
 Adijce cinnamæus quidquid inhalat onyx:
 Tabentes (haud vana fides) leto eximet artus,
 Quisquis in ossa fluit mistus odore liquor.
 Myrthea gutta grauem mortis si vincit odorem;
 Lacryma te mortem vincere dura neget?
 Est etiam sua myrrha genis, liquidoque dolori,
 Et noua myrthatis vita natat lacrymis.
 Altor enim vitæ mœstis Amor ardet in vndis,
 Cui pia pro myrrhâ sospite lymphæ fluit.
 Inde sitibundas veges imbuet aura fauillas:
 Vitales lacrymæ fratris in ossa fluent.

Si vitam dederit ros vda è fronte sorori;
 Hanc dare iam fratri lympha negabit opem?
 Par genus ambo, tenor vitæ par ambo, gemellum
 Ambo decus, par flos frater & ipsa soror:
 Et degit sine fratre soror? prô! diuidit vnam
 Mors animam. an viuet dimidium illa sui?
 Magdala fraterno iam tota vt viuat Amori,
 Dimidium reddet fospite fratre Deus.
 Alter in alterius speculo par viuet imago,
 Quam sibi depinget alter & alter Amor.

ELEGIA XXIV.

Exsurgit LAZARVS tumulo.

DESINE fraternas lacrymis vrgere fauillas,
 Et sua non iusto soluere iusta rogo.
 Vtius ne tende: suos mors improba ludos
 Egit, & in pullâ scena peracta togâ est.
 Vt quid adhuc pluuio damnas tua lumina nimbo,
 Obnubisq; graui sindone triste caput?
 En Deus ex alto, tragici qui nubila luctus
 Discutiat. CHRISTO mors rea ludus erit.
 Cernis, in aspectæ nec opinus vt adstirit vrnæ,
 Et longum celeri fraude fefellit iter?
 Non audis gemitus, suspiriaq; & singultus
 Inter, & heu! rupto murmura trunca sono?
 Qui tumulum simul ac vidit, tumuloq; repostas
 Reliquias animæ Magdala mœsta tuæ;
 Fleuit, & ô, dixit humenti lumine IESVS,
 Lazare vbi es? mœsto murmure, Lazare vbi es?
 Mortis vt attonitas ea vox irrupit in aures,
 Concussitq; solum, funereamq; domum;
 Illicet

Illicet ista cauo procul exsilit, exsilit antro,
 Feraleſque fugit non reditura lares.
 Non tulit illa, Deus quas detonat ore, procellas,
 Quasque vibrant oculi, non tulit illa faces:
 Quippe gradu vt propiore Deum libauit, in isto
 Stans cinere, ab tanto sole fit ipsa cinis.
 Cerne, redux pulchrum funestis faucibus Orci
 Extorquet spoliū vindice vita manu:
 Ferratūque necis sceptrum præscindit, & alas:
 Mors proprio in regno cœpit inerma mori.
 Vitalis gelidos passim vapor induit artus;
 Palpitat, & viuo verminat igne latus.
 Ossa calent, venæque micant, feruentque me-
 dullæ,
 Pallidus ex sanguine floret in ore color.
 Visa soror cum fratre mori, cum fratre sepulcro
 Surgit: it vnus funere vtrique salus.
 Sicut erat vinctus lanâ, linoque tenaci,
 Lazarus erupit carcere marmoreo.
 Sic tamen obuinctos soror illicet implicat artus,
 Adnumerans viuis oscula mille genis.
 Dum rapit amplexum, curuatique illigat vlnis;
 Impediunt auidas improba texta manus.
 Visa queri, dixit, Cur non & vincula soluis,
 Qui potis es ferreæ rumpere iura necis?
 Solue, (hæret intertextâ pes compede vinctus)
 Liber inoffenso dic pede frater eat.
 Soluitur; enodi pes illicet impete pernix
 Exsilit: en patrio frater oberrat agro.
 Aureaque abruptis adnectit stamina filis,
 Et noua iam vitæ fœdera serò legit.
 Lanificum hic vltra linū, & data pensa sororum,
 D 3, Ferti-

Fertiliore trahet altera sæcla colu.
 O quæ tabifico vertebas lumina nimbo,
 Et cui nota graui nocte serena dies;
 Quis tibi nunc animus fratrem inter & inter
 IESVM?

Quò prius aduertes officiosa gradum?
 Ad Dominum, an fratrem? trahit hic, trahit ille:
 quid hæres?

Sed potius Domini grata prehende pedes.
 Siue pedum potius vestigia lambe, vel vmbra;
 Quoque iterit, labio supplice rade solum;
 Vt facis. ô quisnam ille dies! quæ gaudia! quantus,
 Quantus iò plausus! frater & alma soror
 Viuit: iò viuit concors iam nomen Amoris
 Frater, & in reduci fratre renata soror.
 Et quos in geminum mors discidit improba
 funus,

Nuac viuunt geminis cordibus vnus Amor.



LIBER TERTIVS.
MAGDALENA
A M A N S.

ELEGIA I.

MAGDALENÆ *planctus ad
Crucem.*



EN' (prò quale nefas!) mortis spe-
ctare triumphum?

Sanguineo in nimbo flebile sta-
bo gelu?

An mors atratas aget ad nigra fia-
na quadrigas,

Et statuet victo clara tropæa Deo?

Mors tantum scelus, ah! tantos mors aufa do-
lores?

Et crux immensis spinea silua malis?

Ah! necis immunem mors sic mors impia vitam?

Ah! quis sic potuit vertere morte Deum?

Ille triumphator, mundi que, Erebi que, necis que,

Nunc morti infelix ipse triumphus erit?

Sic caput augustum rea larua satelles Auerni?

Te IESV, ah! quantum mutat acerbus Amor!

Sed sua fors mutata, meos nil mutat Amores:

Me dolor opto pari figat & ipse trabe.

D 4

Omnia

Omnia per similes, pectusque, caputque, pedesque,
 Ferre velim spinas, tela, flagella, cruces.
 Vulnifico sub dente secant tibi tempora spinæ
 Omnis & in spinas horridus ibit Amor.
 Sin' vtramque manum mors exedit aspera clavis,
 Omnis & in clauos pesque manusque ruet.
 Si latus irrupit crudeli lancea, ferros,
 Et cor Magdaleis eruet hasta fibris.
 Nec mors vna satis: millenos posco mucrones,
 Pectus ut effodiant vulnere mille meum.
 Ferrea sic aureum mihi sacra reducet in æuum,
 Qui mihi vitali de nece viuet Amor.

ELEGIA II.

*Amor è Cruce MAGDALENAM
 sauciat.*

MAGDALA quid ploras, stans Iudicis ante
 tribunal?
 Plus sape, & alternam spemque, metumque, seca.
 Nonne vides læuo furor ut tonat ore querelas,
 Sic tamen ut dextrum sternuat omen Amor?
 Aspice, ut blandis radiis conuiuet IESVS,
 Transpiratque pias in tua corda faces.
 Scilicet emaculat veterem noua gratia labem,
 Exuritque nigro crimina inusta sinu.
 Pulchrius occumbes castis nunc hostia flammis,
 Quæ vixti piceis improba larua genis.
 Eia, sacro deside iugo iam nescia noxæ,
 Cui mors sollicitas federat ante fores:
 Nec magis emoueat fraus vlla, vel improbus
 error;

Sed

Sed fidos oculos obuia fige Deo.
 Cor breue meta sacris hinc stabit idonea telis;
 Quae tibi, quàm credas, plura minatur Amor.
 Quippe tuis cirris ille hospes inerrat, & hostis,
 Et legit implexis stamina torta comis,
 Quis arcum intendat. arcus crux horrida ferro,
 Cui lato gremio cornua bina patent:
 Inde vomer telum, quadrâ è trabe rasile telum,
 Cui viuis roseo floret ab imbre color.
 Nectare pars rorat, pars altera fellis aceto,
 Quale nocens crudo miscet Apellâ mero.
 Cui non, vt quondâ, nitido mucro fulgurat auro;
 Sed tribus è clavis sica tricuspis habet.
 Cerne, cauo iaculum metitur & aptat in arcu,
 Et ferit: infestâ concidis iccta manu.
 Ecquid iò crudelis Amor, sic fallis amantem?
 Et neruo obliquo tela trifulca iacis?
 Dulcis amarities! sanat, quo vulnerat, icctu.
 Quàm vaser hostis Amor! dū nocet, arte iuuat.
 Nempe suis miscet telis de dispare succo
 Ambrosiam atque aloën dulcis amaror Amor.

ELEGIA III.

MAGDALENA *pro fructu Crucis*
amorem decerpit.

ANTE crucem stabat curuis innexa lacertis
 Magdalis, in ligno stringere visa Deum.
 Hic gemit, hic plorat, clavisque suberrat acutis:
 Magdaleum tingit purpura multa caput.
 Hic quot sanguineos distillant vulnera rores,
 Tot socio in fletu Magdala rorat aquas.

Guttatimque breues cor extenuatur in vndas,
 Tabescitque pio dum rigat imbre crucem.
 Quas pluis ægra, pius crux imbibit arida lymphas,
 Quis scit an affusis trabes ea crescet aquis?
 Ex succus Phariâ ramus si vixit eremo,
 Quid vetat è vitæ palmitè vita fluat?
 Magdaleis olim dabit hospita tecta latebris,
 Quæ modò crux Soly mo squallet aprica iugo.
 Purpureâ istius mali desidet in vmbra
 Magdalis, ambrosias carpere iussa dapes.
 Fallimur? irriguos crux sicca virescit ad imbres,
 Imbres quos oculus nubila fudit Hyas.
 Gratia at hæc cæco ne decidat immemor ævo;
 Diua cruci incidit nobile pignus, A M O.
 Si breue nomen, A M O; sed non breuis ardor
 Amoris.

Quisquis amat Numen, flammea sæcla trahit.
 Iam lego facundo victurum in cortice nomen;
 Arbor vt hæc crescet, crescet alumnus Amor:
 Quoque magis viridi veterascet adulta senectâ,
 Hoc mage Amoris ouâs hic iuuenescet honos.
 Eia, parens vitæ Crux, pulchri germinis alrix,
 Cresce licet; ramo diuite poma legam:
 Poma verecundo sed quæ sunt ebria succo,
 Et queis vitæi purpura multa rubet.
 Quin & viuus odor spirat morientis amomi,
 Quale suo è gutto pyxis odora dedit.
 Finge licet (quamquam vanum sit fingere) nul-
 quam
 Mala legi: tunc truncum vel tetigisse, fat est.
 Euge, piâ iam tange manu lignû. ignis in illo est:
 Id simul attigeris, cor trahet inde facem.

MAGDALENA AMANS.

Scilicet his spinis Amor ardet, & ardet oliuo:
(Cruce olea:) his flammis pabula sanguis alit.
Si tibi sanguineâ viuam legis arbore tedam,
Perpetui fructus instar hic ignis erit.
Ardeat ô dio, pia Magdalis, ardeat astro!
Sub Cruce, fax Solymo stabit honora iugo.

ELEGIA IV.

MAGDALENA *exposcit pro lanceâ ad-*
mitti in CHRISTI latus.

LANCEA. quò properas CHRISTI bibi-
tura cruorem?
In latus, heu! Domini lancea sæua mei?
Inuideo augusti tum nobile pignus honoris,
Cui datur in Dominos ire, redire, sinus;
Arcana; que operire fibras, & Amoris asylo
Purpureo sæuæ pandere mortis iter;
Rimari; que cauas alto sub corde latebras,
Vnde fluit vitæ vena benigna meæ.
O si nunc eadem mihi fors foret! altiùs isto
Hærerem thalamo sanguinei lateris:
Nec mage, vti vacuas celer hasta recurrit in auras,
Inde meus fixo corde rediret Amor.
Tam dulcè poteras malè prouida relinquere sedè?
Non ego, ad hoc vulnus si mucro fortè forem.
Sed cur non Amor (vt solers faber ille) recudit
Cor in acuta necis spicula digna Deo?
Nil vetat excaditererem de corde mucronem:
Cor trifidum cuspis nonne triformis habet?
Cor acuit natura: piæ id prætexe sarissæ;
Et cor in Domini curret, vt hasta, sinus.

D 6 Non

Non ego crudeli rescindam pectora ferro:
 Si quod erit vulnus, vulnus Amoris erit.
 Imbuet & noster non noxia spicula sanguis,
 Aut si quis melior sanguine succus eat.
 Mulcebo lacrymis, mulcebo & vulnera nardo,
 Vel si quis nardo dulcior halat odor.
 Sed quid ego in vanas pia cœpta refingo que-
 relas,

Et desiderii spes ego fallo meis?
 Fallere vota parum est: falsis spes irrita votis
 Adicit arsuras in mea damna faces:
 Et desiderii auget crescentibus ignes,
 Tum redit in vacuum multa querela sinum.
 An querar? immitti mors quod dedit aspera ferro,
 Ah! mihi cor Christi cur dare tardet Amor?
 Hæc tua Christe fides? nostri hæc fiducia voti?
 Ut quæ cuspis ijt, Magdalin ire vetes?
 Cor morti referas, & viuo id claudis amori?
 An tibi mors vitâ dulcius ergo decus?
 Cor ô claude neci, viduæque reclude clienti,
 Ut meus in Domini pectore viuat Amor:
 Seu potius regnet, folioque superbus eburno,
 Purpureoque toro Regia sæcla trahat.
 Lux mea rumpe moras. spes fera deurit aman-
 tem:

Otia tarda celer ferre retractat Amor.
 Ah! nondum iustas facili bibis aure querelas,
 Nec patet ô votis vlla fenestra meis?
 Ecce tibi lato latus omne dehiscit hiaru:
 Credo sub his costis limen Amoris hiat.
 Limen Amoris hiat, & eburnea pandit amanti
 Ostia, queis roseo purpura flore ruber.

O me felicem! subeo iam pectus IESV:
 Dicebam imprudens. heu! mucro clausit iter.
 Pro scelus indignum! fera mors sub pectore IESV:
 Scavit, & in lacrymas Magdalis exsul abit?
 Quid morti ah! licuit? Regina superba cruento
 Mors sedet in solio, purpureâque togâ:
 Et cor inexorata meo fera claudit A mori.
 Id merui? hæc nardi præmia summa meæ?
 Hos ego tot lacrymas, tot balsama & oscula, in
 vltus,
 Vt seclusa Dei pectore mœsta querar?

ELEGIA V.

MAGDALENA *spinam cruentam*
sub Cruce alloquitur.

C R V X vbi sanguineas diræ necis explicat
 vmbas,
 Panditur ah tragici scena cruenta mali.
 Scilicet vt tristi pia Diua sub arbore sedit,
 Affigens Dominæ pendula corda cruci;
 Aspera dos luctus, letique maligna supellex,
 Incidit ignarum spina redunca sinum.
 Quæ simul vt vidit pignus dotale doloris,
 Et terigit tenerâ spicula dura manu;
 Illicet exclamat mordaci faucia telo,
 Sic tamen vt spinis gaudia blanda legat:
 Spina procax diro quæ dente laceffis IESVM,
 Deque sacro IESV tincta cruore mades;
 Vngere te dicam, num pungere? fluctuor anceps,
 Vngis amans leni sanguine, pungis acu.
 Vulneror, an sanor? telū an medicamen ab vncto

Sumo rubo? mors hinc, inde medela fluit,
 Alterutram dederis dono de dispare sortem;
 Vtraque fors votis dos erit apta meis.
 Fortè sed immemori ne munus id excidat æuos;
 Rex Amor hæc sento præmia scribe stilo:
 Sanguine scribe: Mihi spem Cæli his assero donis;
 Sanguis enim pretium ius mihi spina dedit.

E L E G I A V I.

MAGDALENA *Vulnera* CHRISTI
exosculans.

VVLNERA dū teneris demulcet hūlca labellis
 Magdalis, & toto combibit ore Deum;
 Quina parat quinis decerpere suavia plagis,
 Carpit inexpletis oscula quina labris.
 Vix dedit, è quinis sibi dona regustat amoris
 Pabula, & ô blandas vda per ossa faces.
 Mox decimâ è flammâ centenos fœnerat ignes;
 Et centum vt tribuit, oscula mille rapit.
 Altera rursus amans hiat, altera & altera rursus,
 Alteraque vt clausit oscula, rursus hiat:
 Alteraque innumero numero delibat, & addit
 Millia; & vt dederit plurima, plura vouet.
 O quoties gemit inter hiantia suavia I E S V:
 O Amor! ô I E S V! ô dolor! ô lacrymæ!
 Sit satis hoc. sed enim saties quequam esset Amoris?
 Quæ semel ille dedit munera, sæpè dabit.
 Mille & mille sacris noua glutinat oscula plagis;
 Rursus & illacrymans millia dena legit.
 Nec sat philtrea legi millesima mille per ignes,
 Mille per amplexus, mille per & lacrymas;
 Sed

Sed numero innumero cōturbat & omnia miscer,
 Ora, faces, lacrymas, vulnera, labra, genas:
 Aspectatque gemens necis irreparabile crimen,
 Transfunditque animam funus in egelidum;
 Frigenti que suam ponens in funere vitam,
 Extincto immoritur victima viua Deo.

ELEGIA VII.

MAGDALENA *osculis explorat*
 CHRISTI *Vulnera.*

LASSA Dei opprobriis Crux lamentabile
 pondus
 Tandem vt submitit Magdaleo gremio;
 Magdalis (ah! rātos spectas vigil Hespere luctus?)
 Exanime in corpus vix animata ruit:
 Hæretque amplexu, & strictis caput apprimit
 vlnis,
 Quæque secant pressas spinea ferta genas:
 Frigentesque animam scrutatur anhela per artus,
 Exploratque manu vulnera quanta patent.
 Membra pererrat amans, lustratque sub indice
 tactu,
 Si qua nouæ vitæ vena superstes eat:
 Indagatque sinum lateris, mortisque latebras;
 Plagaque si qua manu, plagaque si qua pede.
 Cūcta sed heu! pallorque, stuporque, geluque, rigorque,
 Vulnera, probra, cruor, deque cruore dolor.
 Et nullum reperit letato in Numine Numen:
 Heu! gemit immenso fata minora Deo.
 In vacuas plagas visum consumit hiantem,
 Cui fera mors Sponsi semina mortis alit.

Fua-

Fundit Amans imbres, genitosque tot imbribus
ignes:

Aeger Amor mœstis fax comes ardet aquis.
Vt fractos oculos leti glaciante sub umbrâ
Vidit, & inflexum mortis in arma caput;
Tum crebri gemitus extorri pectore anhelanti
Expressusque oculis muta per ora dolor:
Inque Deum vultus flexi, pariterque reflexi,
Votaque sub lacrymis flebile docta queri.
Ora silent, & corda sonant, sed nescia lingua;
Ingrediturque oculos vox sine voce dolor.
O quoties, quoties (non est numerare querelas)
Mi I E S V, ingeminat: hæcine nostra salus?
Ille mei pars magna, meæ decus ille salutis,
Ille meæ vitæ vita, cor ille meum?
Et tu CHRISTE iaces mortis lacrymabile pignus,
Magdaleo que gelas pallida forma sinu?
Me tua crudeli dilcerpunt vulnera morfu:
Quæ tibi spina caput, cor fodit illa meum:
Quam quoties specto, toties traho faucia flam-
mam;
Inque nouâ flammâ corda remordet Amor.
Dumque tuos oculo libo sitiente cruores,
Imbibis heu! lacrymas o mea vita meas.

E L E G I A V I I I .

Vngit CHRISTVM sepeliendum.

SOLLITIS oculis plagas rimatur hiantes,
Suspensa que manu nobile tollit onus;
Et viduos roseâ Sponsi ceruice lacertos
Implet, inexhaustis Magdalis ægra malis:
Et

Et

Et dulces rapit amplexus, quos multus acerbat
 Mœror, & è spinis spineus vrit Amor.
 O quoties gelidisque genis, gelidisque labellis
 Oscula dum reddit, se sibi pænè rapit!
 Nemo meos, eheu! iam leniet ergo dolores?
 Nemo meos? clamat saucia, nemo meos?
 Magdala quid differs mortis cōnubia? CHRISTO
 Iungere: mors consors; tu modò rumpe moras.
 Tu mihi CHRISTE tuis texe horrida ferta rubetis;
 Et tibi tincta meo sanguine ferta struam.
 Luctus emit concors æquæui pignus Amoris,
 Et fidis lacrymis pabula luctus alit.
 Sed quid ego? hæc iam sera necis vocat hora se-
 pulcro,
 Et vocat ad tumulū, quem modò claudio sinu.
 Ergo sedet tandē tot post lamenta, querelasque,
 Assyrio siccum tingere rore gelu.
 Nolo thymo thymbrâque grauis vomat huc ca-
 lathiscus
 Vndantes gremio diuite veris opes:
 Lecta Palæstino sed balsama quæro vireto,
 Quique rubis Arabis delacrymatur odor:
 Ingenuus luctus sibi quale reposcit aroma:
 Quale decus tantum funus & ossa decet.
 Cerne, Deo plenos inuergit Magdala nimbos,
 Altaque odoratis vulnera mergit aquis.
 India cum Tmolo, Panchaia iuncta Moluccis,
 Tota Dei pleno manat in ossa sinu.
 Magdalei vultus, cordisque relucet imago,
 Ah! myrrhæ in speculo, quod nisi amaror habet.
 Quàm gelidos citò myrrha liquefcit amara per
 artus,

Tam

Tam citò Dina pares liquitur in lacrymas,
 Queis sese omnigeni permiscet amoris aroma,
 Sudor Arabs, Syrius succus, & Indus odor.
 Quin etiam violæq; rosæque, & odora Cyperus,
 Et ver omne genis vndat odoriferis.
 Scilicet ambrosios mellita per oscula rores
 Mulget odoratis Magdala fixa labris.
 Iesseidæ floris cinis hic quot spirat odores,
 Cinnama tot reddit Magdali gratus Amor.
 Funeris hoc scænus. pia nõnne per oscula

CHRISTVS

Magdaleis afflat ver & aroma labris?

ELEGIA IX.

*Lucta MAGDALENÆ cum Iosepho de
 CHRISTI funere.*

VT gremio excepit lacrymabile pondus
 IESVM

Magdalis, & leti lugubre depositum:
 Quid moror, & crudi solata tardo doloris,
 Nec spargo liquidâ membra cruenta croco?
 Ingemit, & vacuas CHRISTI fugientis in vlnas
 Labitur, amplexuque hæret in exanimi;
 Attollensque oculos cælo, palmasque supinas,
 Et suspiria anhelâ alta trahens animâ.
 Oshiat, ah IESV! vox prima pependit hianti
 In labio: mcestus currit in ora latex.
 Verba dolor frænat, vinctos stupor occupat artus;
 Quamque riget funus, tam riget illa gelu:
 Desidensque solo, pallentem aspectat IESVM.
 Videris hoc, dices: Funera bina iacent.

Hæc

Hæc inter, pia cura sacri quem funeris vrget,
Appulit: attollit flebile pondus humo,
Iniectâque manu lacrymabile pignus Ioseph
Occupat, ereptum pectore Magdaleo.
Quæ modò visa mori, vigil ocyus emicat Euro
Magdalis, & contrâ dulce retentat onus.
Ah quibus & quantis hæc vritur anxia curis!
Ah quibus & quantis viribus ille rapit?
Ah! IESVM! IESVM! IESVM, ah mea pignora
Ioseph
Eripis? ah IESV Magdalis orba suo?
Illacrymatque super, suspiriaque ægra resorbet;
In rapto Domino iam sibi visa rapi.
Cur adamantæis neruos non muto catenis,
Dèque meis texo stamina lenta fibris?
Molliaque in lentum mihi membra recudo me-
tallum,
Vnde sequace fluat textilis ære labor?
Sintq; manus manicæ, pes compes idonea prædæ,
Captiuum vt teneant ferrea vincla Deum?
Dura quidem fateor res ferrum, & nescia frangi;
Aurea sed victor vincula reddet Amor.
Ferreæ sint equidem voueo mihi fræna, sed cheu!
Diripiunt surdi vota caduca noti.
O modò felices nodo meliore rudentes,
Et clauis, Domini qui tenuere pedes!
Sed malè pro vinclis longas vbi texo querelas,
Hei mihi! cælestes surripit hostis opes.
O mea lux, iam lucis inops, & imago doloris,
Sed cui adhuc dio pectore vita salit;
Aspicias heu! durus mea damna, nec vrere dânis?
Aspicias, & nostri nil memor vrit Amor?
Hostis

Hostis erat quicumque meum tulit asper IESVS;
 Iam rapit hunc Ioseph, & mihi frater erit?
 Dixit, & hamatos CHRISTO mox inijcit
 vngues:

Reppulit iniectas hostis ab hoste manus.
 Hinc tener affectus, rapit hinc sacra cura sepulcri:
 Et pia lis CHRISTI cœpit ad ossa seri.
 Alter abire iubet, verat alter adire sepulcrum:
 Pugna calet discors, hic tenet, ille trahit.
 Certat vterque, pares intendit vterque lacertos:
 Et duo cum pugnent, præmia neuter habet.
 Hæret in amplexu Domini, spolioque doloris
 Funereo, exuuiasque alter & alter habet.
 Et tandem eluctans à Magdaleo complexu
 Victor iô Ioseph rettulit induuias.
 Ille fugit, sequitur rapido pede, & vrget euntem
 Magdalis infelix: ocyor ille rapit,
 Marmoreoque sacram prædam commendat a-
 sylo,

Obfirmatque graui prouida claustra serâ
 Tum verò gemitus, suspiriaque ærumnosa,
 Quique fuit mœstis fletus amarus aquis,
 Singultusque, dolorque, & mille volumina
 luctus,

Mille simul fluctus pectore Magdaleo.
 Alternat dubiam pallorque ruborque figuram;
 Quique in corde sedet, transit in ora dolor.
 Et saxum vt tetigit, saxo defixa stetit mens;
 Mens, heu! cum Domino saxea facta suo.

ELEGIA X.

*Mors MAGDALENÆ, CHRISTO
iam sepulto.*

Ah decus ille tuū iacet algida gleba sepulcro?
Magdali quid dubitas faucia tota mori?
Nec vis vlla cauo iam saxo exsculpet IESVM?
Magdali quid dubitas faucia tota mori?
Altera surgat Eos, nec adhuc tibi surgit IESVS?
Magdali quid dubitas faucia & orba mori?
Naufragus vt delphin siccis expirat arenis,
Halcyonū ve parens tristibus exsul aquis:
Sic longas lacrymas inter, lentosque dolores,
Pergis ad hanc rupem faucia tota mori.
Corde dolor, stat fronte timor, mors lurida vultu,
Ore gelu, malis nubila lymphæ fluit:
Marcet anus iam ruga genis, floremque iuuentæ
Ante diem violat præcoce Parca situ.
Sic quam fera negat longis dare solibus ætas,
Dat tibi momento nox hodierna necem.
Vix sibi mors credit, vt te sine vulnere mortis,
Hic vbi mors non est, sensit amore mori.
Pallet inerma, timetq; nouis exterrita monstis,
Ne, duce te, mortem viuere cogat Amor.
Quid faceret? trepidum mors obserat ægra se-
pulcrum,
Armatoque nigras obsidet hoste fores:
Ne sua regna domes pulchro frangenda triūpho,
Et tuus hoc viuat marmore victor Amor;
Iamque triumphatâ de morte superstes amanti,
Vitali nequeas mortis amore mori.

ELE-

E L E G I A X I.

MAGDALENA frustra à CHRISTO
recens sepulto solatium expectat.

VNXIT amans, abiit, planxit pia Diua Ma-
gistrum,

Inde domo ad rupem triste reflexit iter:
Accumbensque specu, velut umbra satelles A-
moris,

Per lacrymas spectat, dura quid vna regat.
Nequidquam spectat, pariterque; & abesse gementē
Et venisse piget: sic tamen ægra sedet.

Quod super, illacrymatque, gemitque, tenetque
sepulcrum,

Extinctoque iacet immoritura Deo.

Accessi propius: quod nescio triste per aures
Murmur ijt; fallor? murmur Amoris erat.

Scilicet expectas scruposo ab mortis asylo
Dulce decus vitæ, mors quod auara tenet.

Sed mel puluereâ leti quis speret ab urnâ?

Exsudent liquidum marmora dura fauim?
Mitte graues curas, mea Magdali mitte querelas,

Et desiderij contrahe vela tui.
Nequidquam niceis spes adblanditur in alis;

Spes tibi quæ lactum leniat, occubuit.

Flos perit, mel vnde legas, & dulcia vitæ

Pabula, nectareis pabula lecta genis.

Non illi Zephyrus vitales annuit auras,

Non illum riguis educat imber aquis:

Non tellus, non æthra fouet, non mitius astrum,

Turbida sed diro sidere damnat hiems.

Non

Non illi liquidos indulget Nais amores;
 Vritur immiti flos tener ille gelu.
 Attamen hoc quoties ducis suspiria prato,
 O quoties inhias mellis auara fauum!
 Vel saltem modicum rorem libasse vel auram
 Hac violâ, ô quanti præmia mellis habet!
 Opto quidem, roseo lege pabula blanda labello.
 Sed quid? Iesseides flos nisi sicca cinis;
 Attamen vsque super volitat tua cura sepulcro,
 Haud secus ac vernis pasta melissa rosis.
 Mel quid adhuc inhias apis? ô malè prouida
 Amoris,
 Ocyùs hinc rapido mæsta facesse gradu.
 Hic quod agas nihil est primæuo in frigore leti;
 Spes vbi nulla faui est, fel necis ægra bibes.

ELEGIA XII.

MAGDALENA dubitat, an lacrymis,
 an myrrhâ ungat CHRISTVM se-
 pultum.

Vt nouus aurato Titan incanduit ostro,
 Lataque purpureo sidere fulsit Eos;
 Magdalin vrget Amor, stimulis Amor acribus
 vrit,
 Nec languere diu passus, in arua rapit.
 Sicut erat (& erat plenis onerata alabastris)
 Currit, & albentes turbida lustrat agros. (est.
 Quò ruat, inquis? marmor breue meta labori
 Hic spes, hic cupidæ præda relicta spei est.
 Vt ventum propiùs necis ad ferale theatrum,
 Constitit; incertus pes sed vt vnda labat.

Huc

Huc alternus & huc animum rapit æstus, & altis
Vndantem curis dissona vota trahunt.

Quo de fonte sacræ libabit dona fauilla?

An myrrhâ, an lacrymas, munera prima feret?

Et myrrhâ & lacrymas geminâ dic fundat acerrâ:

Vna duplo (nescis?) hîc calet ara sacro.

Hîc homo cui leto crux surpuit improba vitam,

Et iacet hîc leti nescia vita Deus.

Cerne, pios sitiunt tor hiantia vulnera rores.

Si lubet inferias soluere, solue croco.

En myrrham (qui mortis honos) nardumque
sepulto

Impluis, Arabico munera lecta solo.

Nolo crocum myrrhamque, pio sine rore doloris;

Et sine fruge croci, nolo doloris aquas.

Cinnama quid surdum spirât, inodoraq; myrrha

Exspirat, socias ni dolor addat aquas.

Nam fastidit Amor costumque, rosamque, cro-
cumque,

Ni liquor iste fluat, qui sit Amoris odor.

Ille tuis oculis tepidas exsudat in vndas;

Nullus enim mœsto gratior imbre vapor.

Funde licet lacrymas; lacrymæ mera nardus
Amoris;

Et pia myrrha nouâ tinxerit arte Deum.

Quippe genis quas mœror aquas irrorat amarus,

Mortis amans myrrhâ diuite vertit Amor;

Balsameosque meris lymphis distillat odores,

Quæ calet artifici Dædala flamma foco.

Quid vetat, & lacrymas, queis tingis & vngis
I E S V M,

Myrtheus vnguento vertat olente dolor?

E L E.

ELEGIA XIII.

MAGDALENA *secum disputat quâ in
parte CHRISTVM reperiat.*

R O S C I D A prata leui pede iam permensa,
sepulcro
Adstitit, & quærit saucia Diua Deum.
Cui placidum ridens niueis qui candet in alis,
Mitte Deum, dixit, quærere; CHRISTVS abest.
Vox ea Magdaleas teli vice vulnerat aures,
Exclamat lacrymans, iam propè visa mori:
CHRISTVS abest, & abest orbo mea vita sepulcro?
Mors etiam docuit fallere saxa fidem?
Cur lapis hic cineris custos tam nobile vitæ
Depositum falso est passus abire sinu?
Sensus abest saxis, fateor; tamen illa tueri
Debuerant fidâ pignora tanta serâ:
Atque ego debuerâ potiùs dare claustra sepulcro,
Debueratque vigil stare fatelles Amor.
Sed quid ego vanis onero rea saxa querelis,
Et votis onero sidera fessa meis?
Nec potiùs venor profugæ solatia lucis,
Pulcher vbi lætis ridet Eòs agris?
O mihi quis cæcis prætendat itura tenebris
Stamina, Theseâ deuoluenda manu?
O vtinam rectos regat æqua decempeda calles,
Ne vagus obliquis trames aberrer agris!
Ne labyrinthus fallat am fractus & error,
Ah! malè palantes curua per arua pedes.
Vota sed hæc nisi vana leui ludibria vento.
Heu! via nulla viæ, dux mihi nullus adest.

E

Cyn.

Cynthia nocturnas solatur amica tenebras,
 Nec mihi spes mediâ morte dat vlla iubari
 Arcturi ad glacians vbi sidus & astra Trionum
 Cana pruinosis bruma senescit agris,
 Sæpè tepet mediis, quasi verna flabella, pruinis
 Mitis, & immites temperat aura niues.
 Ast vbi me gelidam crudus timor vrit ad vnam,
 Nulla meos mulcent omina blanda metus.
 Ah me ter miseram! cui spes stetit omnis in vno
 Et perit vna viro, quem mihi prædo tulit.
 Ni mage marmoreâ mortis iam compede liber
 Errat, & errantes abdit vbique pedes.
 Fors iuga celsa, cauæ fors infima vallis I E S V S,
 Abdita fors siluæ, fors sola nuda terit.
 Forsitan alternus terras perlustrat & æthram,
 Fertque refertque nouo, quâ lubet, orbe gradû.
 Forsitan his saxis (& saxa ostendit) I E S V S
 Secubat, arcana præda beata specu.
 Quò ferar? in dubias mens scinditur auia curas,
 Vt sese ista secant compita mille viis.
 Vos precor, ô cedri, vos & iuga confita cedris,
 Vos precor, ô fontes, amnigenæque lacus;
 Dicite, si qua cedrustegat, aut tegat hospita rupes,
 Nympha vel alba suis si qua recondat aquis.
 Quem vaga venor agris, omniq; crepidine fontis,
 Quo lare, quâ siluâ, quâve residit humo?
 Qua me cumque tulit variis vaga semita campis,
 Semita mendaci tramite fallit iter.
 Ah! nusquam redit ille meæ spes sera saluti,
 Siue sagax lustro flumina, siue solum.
 Sisto fugam. hoc vnum restat solamen amanti;
 Arctæ fides iunget, quos via longa fecat. Vt

Ut sibi longinquos fons distitus adligat amnes,
 Vitreaque in profugis vincla propagat aquis;
 Quoque magis largo fugit vnda volubilis aluco,
 Hoc magis vndofas fluminis auget opes:
 Fortè peregrinis, sic esto, deerret arenis
 CHRISTVS amans, & amans Magdala.
 CHRISTVS abest;
 Attamen absentes longinquis iungit habenis,
 Et CHRISTO sociat Magdalin arctus Amor:
 Quoque magis longo via diuidit inuida tractu,
 Amplius hinc lacrymis vndat vtrimque dolor;
 Sed quibus alternos absens sibi pascat amores.
 Quem spatium minuat, sic mage crescit Amor.

ELEGIA XIV.

MAGDALENA frustra CHRISTVM
 quinis sensibus indagat.

SPES nimum fallax saxo promisit ab isto
 Pandere purpureæ nobile lucis iter.
 Iam bis purpureo fax aurea fulsit Eoo,
 Iamque bis occiduis naufraga sedit aquis;
 Nec tamè apparet pes, aura vel umbra Tonantis:
 Heu mihi! spes tollit, quã dare spondet opem.
 Cisseis vt vacuo mentitur vina corymbo,
 Mendaci que sitim fallit iniqua botro:
 Sic itidem vano mens omine nixa, caduco
 Ludit in euentu. quid nisi vota sequor?
 Quã sequor errantem comes errabunda salutem,
 Si non illa graui marmore pressa iacet?
 Saxa per aspra rudesque ruam violenta salebras,
 Quã dolor æger agit, quã rapit orbis Amor.

Flumina, flumina, vos vallesque, specusque, pe-
traque,

Abditis arcano, quem vaga quaero, sinu?

Quæram fluminibus, quæramque; in vallibus imis,

Quæram sollicitis nescia stare petris.

Quæram spelæis, quæram circumuaga siluis,

Et quæram stabulis, vimineisque casis:

Nec mihi suspectæ fraudem struet umbra latebræ

Vlla; nec vllus ager, qui malè faller, erit.

Nec malè securæ faller nox vlla cauernæ,

Vlla nec ignoto ludet arena solo.

Nec me frondiferi fugiet reses umbra fruteti

Vlla, nec vllus agri cespes, & vlla specus.

Nullus inaccessâ sese angulus abdet eremo,

Quem mihi non retegat lyncea lampas Amor,

Denique nullus erit Syriis in finibus orbis,

Quem mea non rapido mox pede cura teret.

Quid iuuat vsq; teri reteriq; tot arua, tot hortos,

Et toties tritas ire redire vias;

Ni spectem, tangamque, bibamque, & odorer

I E S V M,

Delicias & amans mutua verba seram?

Ite mei socio concordēs agmine sensus,

Ite duces animi; sensibus error abest.

Ascendo speculas; oculus celer erro per auras

Auolat: ab speculis nulla figura redit.

Mille vias propter vigil auribus aucupor auras:

Nulla sed hinc aures nuntia fida legunt.

Naris abit, rapidosque sagax venatur odores:

Nulla sed aspirat naribus aura Deum.

Tango solum, premo pressa pari vestigia passu:

Nulla solo sacros sculpsit imago pedes.

Dux

Dux oculus fallit, fallit vox nuntia rerum,
 Pes explorator fallit vbique fidem.
 Sisto. sed vrget Amor, nescit vigil augur & obles
 Vota nouis votis, ominaque ominibus:
 Spesque vigil somnus de I E S V somnia fingit,
 Vana sed heu! oculos fascinat umbra meos.
 Quo me cumq; fero, nox omnia, & omnia mæror,
 Omniaque ignotis obuius error agris.
 Nescia quo flectam, dubio labo pendula voto.
 Stabo? vel ibo? sedet inter vtrumque dolor:
 Accumbam tumulo? spes ægra sed assidet umbris.
 Absistam? raptio quid sequar orba Deo?
 Incumbam porius iam iam moritura sepulcro:
 Par cui vita stetit, par necis vrna teget.
 Quis dabit æquæuo concors cum funere funus?
 Par cineri cineres misceat vrna meos.
 O ille vt felix, pia mors quem iungit I E S V,
 Includitque pari corpora bina specu!
 Tuque anima ô felix, proprij si corporis exsul,
 Ad Domini sacrum prouida corpus adis!
 Haud dubiũ viuas duces hoc marmore flammæ,
 Ignea nam grauido puluere vena salit.
 Teque tuo hic iunget I E S V mors pronuba vitæ:
 Hoc tumulo thalamũ castus adornat Hymen.

E L E G I A X V.

*Magnanimitas MAGDALENÆ**I E S V M quærentis.*

FERREA spinosæ permensus sæcula vitæ,
 Christe iaces sicco sicca fauilla specu?
 Ibo, balsameis immergam vulnera succis;

E. 3

Ibo

Ibo parentali soluere iusta sacro.
 En crocus, en nardi liquor, & liquor almus a-
 momi,
 Quos Arabâ spinâ stillat anhelus odor.
 Inspeci marmor; sub marmore nullus IESVS:
 Rimor hiantes specum lumine; nullus adest.
 Nulla sonat saxi vox, vlla nec adsonat vndis,
 Vlla nec ad Zephyrum sibila silua sonat.
 Iam bis obortus aquis, & bis sol naufragus vudis,
 Ex quo spes vacuo me fugit orba sinu.
 Heu! gemini mihi iere dies sine sole, sine astro!
 Et gemini, ô miseram! iam periere dies!
 Vt mihi prima fugit, fugit altera lampas Eôi,
 Sic fugiet cæcis tertia luna rotis.
 Vt metuo! an vanis terrent me somnia monstris!
 Ah! nimium ex vero me manet atra dies,
 Scrupea quem seruet fidi tutela sepulcri,
 Perdidit inclusum perfida petra Deum.
 Væ miseræ! mihi væ miseræ! cui saxa vel ipsa
 Fallere securam iam didicere fidem.
 Si tamen infido quis marmore raptor IESVM
 Surpuit, aut si quo furta reposta sinu,
 Dissere; & euoluam cæcis mea viscera lustris,
 Prædo licet multo sepiat ense specum.
 Fors erit vt condant altæ mea damna cauernæ,
 Fors erit vt prædam plurima silua premat,
 Mille lupos inter, bellatricesque leonas,
 Armatosque vros, armifonasque tigres.
 Nil moror infestis vlulanda pericula siluis,
 Quaque fremit sæuas Martia turba minas.
 Est & femineo sub pectore mascula virtus,
 Est Mars femineâ qui vibret arma manu.

Ferreâ

Ferrea vis, & inexpugnabilis umbo sagittis
 Nonne adamantæo pectore perstat Amor?
 Pardorum domitrix, debellatrixque leonum,
 Cincta triumphali fronde tropæa geram.
 Ipse mares animos pulchris Amor induit ausis:
 Dux Amor inuictus; quo Duce, miles ero.
 Vel Phlegethontas perumpam inuicta pha-
 langas,
 Vindiciasque pias vindice Marte sequar:
 Atque Atavis immista sacri pars ibo triumphis,
 Festus & ipsa mihi læta triumphus ero.
 Inuento fruitura Deo, & victrice coronâ,
 Tunc Cælum in Stygio carcere læta colam.
 Quòd si fors viduo mea spes absistat Auerno,
 Ibo redux terris pignora rapta sequi.
 Arcturi ad glaciem Iesse si paruulus heros,
 Ipse suo maior prædo leone leo,
 Nescio quid tenerum de dente leonis & vrsæ
 Eripuit, sæuis fortior ipse feris;
 Ipsum vt Iesseidem manus hæc extorqueat vncis
 Vnguibus Autolyçi, prælia nulla geram?
 Ditius an spoliùm, & victricibus aptius hastis,
 Et mage digna manu vindice præda rapi est?

ELEGIA XVI.

Eiusdem argumenti.

Non timet ille fretum, sacra quem sitis in-
 coquit auri;
 Oppida qui lustrat, non timet ille fretum.
 Asper ad arma ruit, bello qui præmia quærit;
 Quem nouus vrit honos, asper ad arma ruit.

Sedulus vrget humum, spes quem tenet aurea
messis;

Quique metalla fodit, sedulus vrget humum.
Nec mea magnanimus flammam præcordia
Mauors,

Grassaturque sacer pulchra per arma furor,
Captiuum vt Dominum (faueant modo Numi-
na cœptis)

Eximat armatâ clara virago manu?
Imbelli licet in peplo, tot damna pudoris
Sustineam, vt nostras occupet hostis opes?
Ilicet egregios ibit meus ardor in ausus,
Et victrix spoliū mortis ab vngue feram:
Et sexum mentita viri, victrixque pericli,
Prædoni eripiam præmia digna viris:
Et sub Amazoniis ducam agmina Martia peltis,
Ni satis in palmas dextra sit vna meas.
Castra Iabinæasque rotas dux femina bello
Subruit in præceptis armipotente manu:
Bethuliaque Syras vt prouat arce quadrigas
Iudith Abrahamij gloria prima chori,
Assyrio conferre pedem fuit ausa Tyranno,
Et tot Achæmenidis præscidit vna caput:
Nec poterit Solymæa phalanx ducem Magdali
victrix

Rapta Palæstino figere signa tholo?
Si lubet æqua pari componi tela duello,
Dux ego discordi cum Duce bella feram:
Et spoliis bellator ouans Amor ibit opimus,
Victoriq̄ue Deo grata tropæa feret.
Sin lubeat certare dolo (& dolus hæret in armis)
Magdalis in Sisaram vera futura Iahel.

Quod

Quòd si clauus abest, crux suggeret obuia clauū:
 Et figam validâ tempora bina manu:
 Aut ego millenas irrumpam sola phalangas;
 Vincere castra facit ferrea solus Amor.
 Par vnus si mille viris, par mille sarissis,
 Ille Palæstinis dira procella feris;
 Et tot ab innumero victor tulit hoste coronas
 Samson, Mauortes qui sibi mille facit:
 Viuida millenas vis parturit Heroinas,
 Auspicio CHRISTI dux vbi pugnat Amor.
 Magdala Samsonis rediuiua resurget in arma;
 Feminaque vna ruet millia mille virum.
 Et magno proauo comes ibo per arma, per hostes,
 Proque Loto vindex, asseret hasta Deum.
 Quis scit an ille mihi quernæ dabit orsa coronæ,
 Ciuicaque erepto pro Duce ferta struet?
 Quidquid erit, iuuat ire per omnia tela, per
 ignes,
 Bella ciente solo, bella ciente mari.
 Hac ego ferratâ coniuro in prælia dextrâ:
 Eripiam vitam Marte dolove meam.
 Iamque triumphali frontem redimita corymbo,
 Sive tuo Daphne, seu mage myrte tuo,
 Ad notos reueham spoliū prælustre penates;
 Quale dedit laurus nulla, nec vlla dabit.
 Non Atauū referam terrâ Nilotide manes,
 Ossaque Abrahamio rursus humanda solo;
 Eximium sed Abrahamidū Ifacidūque pa-
 rentem,
 Quique triumphatâ morte tropæa refert:
 Sustollamq; humeris, & amabile pondus IESVM
 Bethanio aduoluet alba quadriga solo:
 E 5 De-

Deque triumphali spoliū tam nobile curru
Bethanides ducent in mea regna nurus;
Includentque eborique, auroque, ebanoque, smar-
ragdilque

Ossa, futura meo dulce monile sinu.
I nunc, & ternum duc terno ex orbe triumphum
Cæsar, & i paribus Cæsarīs hostis equis:
Tuque adeo Marcelle, Mari, Luculle, Duilli,
Et Capitolinā quisquis in arce litas:
Unicus ille mihi par mille & mille triumphis,
Qui spoliū reuehet tam graue, currus erit.
Millia mille Ducum mihi nonne reducet in vno
Ille viro, & toto grandius orbe caput?

ELEGIA XVII.

MAGDALENA *votorum nauim ad
tumuli portum aduertit.*

VENTVS vt incertis altercans errat arenis;
Sic tibi diu discors dissona vota trahis.
Istque redisque vago, via quā rapit auia, fluctu,
Vt mendace specu te rea lusit humus.
Nam sibi fit pectus mare mille volubile curis,
Quod timor atque nouo turbine versat Amor.
Quem sequeris, nusquam est. Iuuat ire per inuia
mundi,
Palantemque rapi per vada cæca ratem?
Si qua salis tibi mica, salum fuge flebile luctus,
Non satis experto currere gnara salo.
Littoreo at scopulo tu surdior. Itur in æquor:
Agmen agens fluctus auia vela vehit.
Vnda tibi lacrymæ, cor nauis, vota rudentes,
Ton-

Tonfa timor, gemitus flamina, clauus Amor,
 Vela piæ curæ, merx aurea funus amantis,
 Quod reuehat plenâ spes opulenta rate.
 Nautea multa, sed hîc & nauſea multa doloris:
 Antlia fletiferis manat aquoſa genis.
 Quiſquis in hac pinu ſedet, omnibus errat arenis:
 Ipſa ſibi hæc nauis nauita, & ipſa fretum eſt.
 Attamen hanc fabricat, vaſtiſque gubernat in
 vndis
 Magdalis, ipſa ſuo pænè ſepulta mari.
 Illa volubili in æquore oberrat, & inuocat Euros,
 Anxiaque incertâ ſub trabe regna ſecat.
 Sæpè minax geminat aduerſa pericula terror,
 Sæpè vehit prono ſpes rata vota ſalo.
 Siue opus eſt remo, lentâ quatit arbore fluctus;
 Siue opus eſt velo, carbaſa panda regit.
 Quæ ſtatio hîc, quæris? ſtatio ah lacrymabile
 ſaxum eſt,
 Cui diram Solymâ mors ſtruit arce Pharon:
 Funestam vnde facem cæco præluceſt Amori,
 Deque necis nimbo ſidera dira parit.
 Magdala ſic queritur mediis deprenſa procellis;
 Quam contra ab ſupero ſic canit orbe fides:
 O fuge tam triſtem Domini de funere tedam;
 Ah tibi portus erit nauſraga Scylla dolor!
 Sed potiùs rectum dextrâ rege remige clauum;
 I duce ſpe vitæ conſcia ſigna ſequi;
 Vitalique Deum iam ſurgere crede ſepulcro:
 Quod modò petra minax, ara ſalutis erit.

ELEGIA XVIII.

MAGDALENA *expostulat cum
inani sepulcro.*

VT stetit ad saxum gelido mage frigida saxo
 Magdalis, & vacuo pæne sepulta specu;
 Attentis oculis rimatur auara sepulcrum,
 Et geminam lustrat lyncea tota petram.
 Nil reperit, nisi quid breue nescio textile lino,
 Angulus obscurâ quod niger abdit humo.
 Ilicet exclamat, moriensque incumbit hiantem
 In cautem, ipsa sibi Magdala visa rapi:
 Siccine tu rupes, rupes, ah! perfida rupes,
 Fallis, & affectus surripis ergo meos?
 Heu! vbi sancta fides, si marmora nescia vitæ
 Nunc quoque fallaces edidicere dolos?
 Prô facinus! sic bruta silex eludet amantem?
 An cos asperior marmore marmor habet?
 Affectum quæ nescit, alet petra perfida fraudes?
 Mors etiam hanc artes erudit ipsa suas?
 Quærebam, cui cinnameos liquor imbuat artus,
 Heu nisi fallaci lintea cerno specu,
 Vnde mei cæpit detexi tela doloris,
 Tela per innumeras euoluenda moras.
 Fallimur heu nimium! nimium me fallit IESVS,
 Qui pede tam celeri fraudat amantis iter.
 Heu! ego quid merui? vel quo rea pecco piaclo?
 Ni graue sit crimen, munera ferre Deo.
 Sed pietas suprema iubet dare dona sepulto:
 Et rea pecco? meo à crimine crimen abest.
 Sic tamen immeritam plectit, quam fallit IESVS;
 Et

Et procul, heu! vitam diripit ille meam.
 Ille suburbanis iam fortè decerrat agellis,
 Fortè terit Solymæ, fortè Sionis iter.
 Quid iuuat hic omni si fors spatietur in agro,
 Quæ loca cuncta vouent, si mihi cuncta negêt?
 Tuque etiam, ah! Aurora meam rapis improba
 lucem,
 Quam matutino Sole spondit Amor.
 Ergo meis (ô nox mihi quanta refurgit Eoo!)
 Excidet æternum lux mea luminibus?
 Aut mea si tardis maturas vota quadrigis,
 O cur non Phaëthon fit tibi noster Amor?
 Quàm rapidis stimulis laxas vrgeret habenas?
 Quàm rapidis IESVM quæteret ille rotis?
 O ego tunc! ô quæ suspiria mista querelis,
 Amplexusque, crocosq; osculaq; & lacrymas!
 Sed quid plura? rapit Zephyrus mea vota per
 auras,
 Et vaga cum Zephyro cor rapit aura meum.

ELEGIA XIX.

MAGDALENA suum quem querit
 IESVM describit.

ERRAT inops voti, per rura, per arua, per arces,
 Oppida, & Isaciis compita secta viis,
 Magdalis, ignotumque diu venatur IESVM;
 Vndique venantem sed sua præda fugit.
 Instat amans, vani spem pascit in omine voti:
 Quam sibi mille viæ dant, sibi mille negant.
 Ah! quoties Solymæ deserta pererrat arena,
 Et quoties viridi fessa recumbit humo;

Metaturque vagis oculis iuga, flumina, campos,
 Si qua sui I E S V forsitan umbra sedet!
 Omnia spondebant I E S V M, I E S V M omnia celat,
 Siue oriente die, siue cadente die.
 Si quis, ut in populo, per amœna vireta viator
 Obuius, aut solis obuia nympha locis;
 Magdala quærit amans: Hoc tramite numquid

I E S V S,

Hac siluâ I E S V S errat, an errat agro?
 Quod si fortè meum nescis, quem sector, I E S V M;
 Teque Dei ignarum nescius error habet:
 Ille meo tantas accendit pectore flammâs,
 Ut tibi noster Amor luceat inde facem.
 Te nox cæca tenet, si non hos conspicias ignes,
 Nec micat hinc oculis viua lucerna tuis.
 Amplius an quæris? quæ vox, quæ gratia vocis?
 Quæ coma, quæ color? quæ sit oris honos?
 Si nunc ille redux dias erupit in auras,
 Deque triumphatâ morte refert spolia;
 Millibus è multis pulcherrimus ille viorum,
 Orbis honos, Diuûm gloria, Solis amor.
 Non eius nitido certet nix Bistonis ori,
 Aut rosa purpureas vincat amœna genas.
 Illius auratis cedit Aurora capillis,
 Argentumque genis, coraliumque labris.
 Frons illi tranquilla sedet, stat blanda seueris
 Mæiestas oculis, vox sonat ista Deum:
 Vel tenui radio quem si tua lumina carpant,
 Iurabis Domino Numen inesse meo.
 Te trahet ille graui vultu, seu temperatiram;
 Seu latis oculis annuit, ille trahet.
 Hæc I E S V facies, nitidique hæc gratia vultus,

Lux

Lux nimum lacrymis insidiosa meis.
 Mille caput terebrant mordaci cuspide sentes,
 Quinquifidumq; notant vulnera quina decus.
 Sic licet informis liuor turparit, & horror;
 Pulchrior hunc omni flore venustat Amor.
 Vt quid adhuc lento me torre viator aduris?
 Dic, precor, affectus quæ tenet ora meos?
 An specus, an rupes, templumq; vel ara Sionis,
 An nemus, an campus, flumē, an hortus habet?
 Quid tibi vis? miseram seras cur fallis in horas?
 Ludis in ærumnas seria damna meas.
 Et si fas fuerit, te tandem adiuro, tuamq; *CHRISTE*
 crucem, vitam nunc mihi redde
 tuam.
 An benè vitali mea vita resurget Eoo,
 Vt data lux aliis, nox mihi cæca foret?

ELEGIA XX.

*CHRISTVS specie hortulani ap-
parens se subducit.*

NIMBOSIS oculus pernox hibernat in Austris,
 Ania sollicito dum pede quæro Deum.
 Quot rores pluuiâ marmor defudat in aurâ,
 Tot lacrymas sicco marmore mœsta pluo.
 Sed quid opus votis? cursu magis vsus & cæstro est.
 Vitæ in curriculo lampada poscit Amor.
 Ergo viam alterno pede metiar hasce per herbas,
 Aura spei ab *CHRISTO* si qua superstes agat.
 Haud procul ab tumulo lux ecqua suberras
 ocellis,
 Incerto radio promere visa diem?

siste

Siste gradum mulier, quis radit sibilus aures?
 Quæ micat hîc viridi candida marra solo?
 O mihi quisquis ades formosi cultor agelli,
 Dic, precor, herbosâ furta recondis humo?
 Mi bone, quid cessas? te, te per conscia testor
 Saxa, per & fuluis qui terit astra rotis;
 Teque per has ego (quæ magni mihi ponderis
 instar)

Adiuero lacrymas: Quo mea vita specu?
 Euoluam latebris, & in hos ego femina & ægra
 Tollam humeros; vret sarcina blanda caput.
 Dulce parentis onus quis ferre retractet, & exors
 Corpus Iessai germinis exuuias?
 Sin potius vigil ad ferrum rapit hostis I E S V M,
 Quasque rapit, pernox ceu draco, seruat opes;
 Eripiemus, & in media armâ ruemus: & ignes
 Irruo; stat pulchrâ Numina morte sequi
 Dux vbi pugnat Amor, quæ Mars intêtat Amâti,
 Arma, faces, enses, ludus inermiserunt.
 Nec timor infringet stimulos virtutis, & iras,
 Hostilem ad clypeum, teligeramque manum.
 Nec mors, aut pallês fera mortis ad omina terror,
 Imbellem ex sanguisculpet in ore metum.
 Ite minæ, atque adeo tu sica satelles; Amani
 Futilis è plumbo pugio semper eris.
 Sed quò cæca feror? dic, aut da quæso sepulcrum,
 Exuuiasque cauo furta reuolue specu.
 Dum moror, aut rugas expecto, & iurgia vultus,
 Ecce mihi blandâ fronte serenus ait:
 Eia, Maria. Quid hoc? simul ac sonus impu-
 lit aures,
 Lux oculos afflat candida. CHRISTVS adest.
 Ipus

Ipsus adest, & specto palàm, quem sector, IESVM:

Quin ruo in amplexus, osculaque & lacrymas.

Viuit iò. me somnus habet? iò viuit IESVS.

Viuit iò, viuit, lux mea viuit iò.

O mea spes! ô delicia! ô flos aureus æui!

O decus ille meum! lux mea, CHRISTVS
adest.

O desiderium! tot in horam hanc viximus annos,
Aeterno vt liceat iam mihi Sole frui.

Quæ lux, ô Superi! spectabam; euauit, eheu!

Quæ nox, heu! oculis orta repente meis!

Me tamen absentem sic absens tangit, & vrit;

Meque vbi linquit amans, febris amoris edit.

En iecur arcanâ face lancinat improbus ardor,

Quem fugiente Dei parturit igne dolor.

Me miseram! si tantus edit nunc eminus ignis,

Me propè vt attigerit flamma, quis ardor edet?

Si mihi vel spectasse Deum, reperisse salutem est;

Ecquid erit tali Sole perennè rapi?

ELEGIA XXI.

MAGDALENA *ubique appellat*

IESVM.

ILLE catenatas vmbrosi carceris vmbas

Qui soluit victor sub trabe quadridâ,

Nõne triumphali de curru inuitat alumnos,

Meque adeò in primis ad sua signa vocat?

Sic reor: & tardas votis innecto catenas?

Nec pede, nec voluci mente per astra sequor?

O cur non aquila volucres cor induit alas,

Ardua quò remo præpete regna legam

Vena-

Venatrix lacrymosa Dei? caua brachia pennis
 Verte Potens rerum, te pia Diua fruar.
 Et quocumque lubet, facili cor dirige scepro:
 Stare iube; stabit: dic eat; ibit Amor.
 Sed quæ venor amans, fugit ibicis instar & hinni:
 Ah dolor! errantem quo sequar orbe Deum?
 Quò fugit ille, meos oculos rapit, & rapit ignes:
 Quo pede mens, & quo spes pede tendit iter?
 Fors maris vda terit, propiorve assurgit Olympo;
 Fortè Thabor, Solymos fortè pererrat agros.
 O cælum! ô tellus! ô felix æquora nomen!
 O tria deliciis regna beata meis!
 Hictor odora meæ vestigo cubilia prædæ;
 Nullus at inde redit suspicionis odor.
 Imploro iuga, saxa, lacus, vallesque sonoras,
 Imploro & refugos testa susurra specus.
 Et dolor inclamat ah I E S V M! & rursus I E S V S
 Ingeminat, I E S V S rursus in ora redit.
 Terque iterum clamat I E S V S, ter & antra re-
 clamant.
 Ah I E S V S, I E S V S, tristia saxa gemunt.
 Auritis scopulis I E S V S redit exsul in aures
 Magdaleas. I E S V M quælibet aura parit.
 Ista quid ad I E S V M? non hos erratur in vsus,
 Omnibus vt sterilis meta sit error agris.
 Aeternum ad Verbū vocis quid inanis imago est?
 Quid facit ad I E S V M futilis aura meum?
 Anne putas vt Hylan Naïs mutauit in auras,
 Mors I E S V M vacuo verterit ægra sono?
 Fictus at error Hylas, & mendax fabula Naïs;
 Hic sonus in I E S V fictus, & error erat.
 Sic gemit, & tandem frondente residit in vmbra,
 Dum

Dum peragrant longas lumina fessa vias.
 Luctifonâ turtur tum fortè gemebat in orno,
 Accendens querulis anxia corda modis.
 Cui pia Diua graui iam dudum faucia luctu:
 Orba viro turtur desine mœsta queri.
 Hæc mea fors potiùs. iusti Crux causa doloris.
 Hei mihi! sanguineâ tela quot orta Cruce?
 Arbore in hac, cheu! quondam mea gaudia

I E S V M

Sustulit immiti mors violenta manu.
 Connubia, optatosque toros, sacrosq; Hymenæos
 Rescidit hinc clauus, rescidit inde rubus.
 Ille meis arsit ter felix flamma medullis,
 Pronubus astrigerâ quam face pavit Amor.
 At nunc intempetiuis nox opprimit vmbriis,
 Et mors marmoreo condit auara sinu.
 O cur non volucres mihi turturis induo pennas,
 Cui sacer erepto Numine luget Hymen?
 Mille gemens filuis, tunc mille vagarer in
 vmbriis,
 Et procul impleret rauca querela nemus:
 Ac vacuo gremio modò quem suspiro tot aruis,
 Pro gemitu, ô I E S V, vox foret vna, R E D I.

LIBER QVARTVS.
MAGDALENA
EXSVLANS.

ELEGIA I.

*Somnium MAGDALENAE de fu-
tura sua navigatione.*

DVM dolor in curas nocturnis excu-
bat horis,
Et vigil in fletu tædia fera trahit;
Sidereum mundum furuis emensa
quadrigis

Iam Phœbe Oceani fræna lauabat aquis.
Tum somnus gelido perfudit lumina cornu.
Illa papauereâ nube sepulta natant.
Ergo cum fessos placidus sopor irrigat artus,
Sido solo, & molli lassa recumbo toro.
Discolor hîc variis oblutit imago figuris,
Appingitque animo somnia mille meo.
Et vidi, aut vidisse reor, super æquora puppim
Nescio quam, fati conscia signa mei.
Illa rebellantis Nerei meditata triumphum,
Pandit Ioppæo vela superba mari,
Aegæi passura minas, cælique furores,
Quæque ruunt nimbo bella fluentifono.

Cui

Cui tremulis pennata phalanx alludit in alis,
 Cæligenumque duces omnia læta canunt.
 Quaque super resonis chorus aliger accinit vndis,
 Spargit aquis niueum cana columba iubar.
 Quæ præit illa, sequor: sed quæ sequor auspice
 Cælo,
 Vndosum Cyano marmore signat iter.
 Ridet inoffensum pacato lumine Cælum,
 Et picto annumerat sidera mille salo.
 Iamque sonant remi clausisque frementibus vndis,
 Veliuolamque vehunt flabra secunda ratem.
 Excitor ô: remi sonus excitat, excitat vnda.
 Heu! mare quod vidi, somnus & error erat.

ELEGIA II.

Aliud Somnium.

Vt placidi rupit fragor improbus omnia
 somni;
 Iam vigil vmbroso mæsta resido toro.
 Sidentem tacitis alius sopor impulit alis.
 Victa labo: somno triste reclino caput.
 Velifero campo rediuiua recurfat imago;
 Inque mari puppis quæ prius iuit, abit.
 Ibat ouans remis, Zephyrique ferentibus alis,
 Prora per Aegæum Carpathiumque fretum.
 Ecce, micat, volucrique fecat caua nubila cursu
 Nescio quæ velis obuia Diua meis:
 Cui teneris nix casta genis, cui viuuda vultu
 Purpura, & ambrosijs gratia suada labris.
 Statque corona comis, altoque in vertice turres,
 Et viridem pinguat florea regna togam.

Hic

Hic valles Dryadamque domus, montesque co-
mantes,

Arua, lacus, fontes, flumina, saxa, specus.
Et bene (si memini, nec me vaga somnia fallunt)

Ales ab occiduis appulit illa plagis:
Idque ubi se curuo lunant caua cornua portu,
Turritumque tumet terra superba caput.

Inde domo (an fallor?) vacuū decurrit in æquor,
Occurritque meæ conscia Diua rati:

Adnatat & delphin (quid enim non somnia
sunt?)

Nobile cui cingunt lilia fulua caput:
Nereidumque chorus, plaudensque ad cornua
Triton,

Exsultimque vibrans omina dextra canit.
Interea puppim pulcherrima Neptunine

Lustrat, & aspirat candida Diua iubar.
Ut quid, ait, cæcas palaris ut vnda per vndas,

Quam rapit incertis ventus & æstus aquis?
Siste pedem, volucremque fugam, soror æmula

Diuis:

Quæque mihi flauent lilia, munus habe.
Aurea veliuolam quot cingunt lilia malum,

Gloria Magdaleo tot dabit astra mari.
Massiliam pete, Massiliam mea regna; sub isto

Littore currenti meta stat apta rati.
Dixit, & antennas malumque coronat, & auro

Liligero lustrat lucida Diua trabem.
Dum specto, in vacuas euauit ilicet auras.

Lilia ut astra micant, cetera nimbus habet.
Nunc erat optatas tandem ut mea pinus arenas

Tangeret, emenso non reditura mari:

Festa

Festa cauâ at Triton dū personat æquora conchâ,
 Et clarum irradiant lilia fulua diem;
 Massiliam conclamat ouans, & nauita rursus
 Massiliam ingeminans classica festa canit.
 Excitor, abruptis sonus & lux obuia somnum;
 Si modò sit somnus gaudia vera sequi.

ELEGIA III.

*Abripitur MAGDALENA in
 exsilium.*

MANE memor vigili voluebat Magdala curâ,
 Quæ dedit hesternâ somnia nocte quies:
 Exspatiâsq; foras vernis errabat in agris,
 Roscida dum primo gramina sole virent.
 Sic viridi errantem campo rapit improbus hostis,
 Et patriæ auellit dirus Apella sinu.
 Effugit illa manus, & inobseruata paternos
 Ambit in itæque lares: denique prædò rapit;
 Ac procul, heu! procul ignotas deportat in oras
 Figentem patrijs oscula liminibus.
 Et tandem geminas socio cum fratre sorores
 Dirus Ioppæo littore latro stitit.
 Hic (vt fama refert) infelix Cassiopeiæ
 Gnata stetit diræ victima dira feræ.
 Monstrifero Andromadæ portu vt stetit anxia
 voti
 Magdala, cui cingunt monstra eruenta latus;
 Illicet exclamat tot mortes inter & hostes:
 Andromede ad Ioppen altera rursus ero.
 Figere ceratis voluit pia vota tabellis,
 Sed pia fingentem vota procella rapit.

Sic

Sic tamen arcanis assignat vota querelis,
 Pro cerâ vt lacrymis scribat anhela suis:
 Quot nardi antè dedi spicas, tot spondeo fletus,
 Si teneat portum salua carina suum.
 Quæ rea nunc voti crudele paciscor ad æquor,
 Tunc damnata nouo fenore dona luam.
 Talia spondentem rursus ferus impulit hostis,
 Et rapit in duram turba proterua ratem.
 At cymbam vt vidit nudâ, & sine præside cymbâ,
 Magdalis irato currere iussa mari;
 Ingemuit (vox illa fuit plorantis, & cheu!
 Exfulis) imbellem dum subit ægra trabem:
 Statque, labatque, tremente tremens rate, vt vnda
 sub Euro;
 Et tandem pauper paupere lintre sedet.
 Hic somnû, hîc memori retractat mēte carinam,
 Liliaque, & votis omina læta suis.
 Sed nisi vah! mendax ea gaudia noctis imago.
 Heu miserâ! in fragili iam lare mœror habet.
 Atque ait illacrymans: Tumidam super æquora
 puppim
 Sic mihi litigeris somnus adumbrat aquis?
 Heu! ego quàm fallor! mihi an hæc promissa
 salutis
 Pignora, si truncâ stat trabe fulta salus?
 Aspice, vt vndiuagus carcer, sine remige puppis
 Claudicat incerto nescia stare falò.
 Clauus abest, & abest habili manus arbitra clauus;
 Et freta qui verrat spumea, remus abest.
 Non pes, non velum, non anchora; & ibit in
 æquor
 Cymba procelloso prouolienda falò?

Somnia

Somnia quàm fallūt mendaci in imagine rerum,
 Quam nox errorum parturit atra parens!
 Spectabam remos, & ouantia carbasā ventis:
 Heu! stat præsidiis cassa carina suis.
 It tamen vndosos Nerei passura furores,
 Immensumque breui spes trabe currit iter.
 Quàm metuo fragilē Boreæ ne turbo phaselum
 Obruat, aut rapidis hauriat vnda fretis!
 Exsul, inops, & inerma leui in rate femina franget
 Neptuni furias, Hippotadæque minas?
 Massilio timeo noua ne det nomina ponto
 Magdala, Magdaleo dum cadet hausta mari:
 Immensumque mihi Tyrrihena sit vnda sepul-
 chrum;
 Nauitaque, Hoc, dicat, Magdala merfa salo est.
 Scilicet hæc delphin ferale natantibus omen
 Naufragij antè dedit tristia signa mei.
 Quis scit an illa meis lux quæ stetit ardua velis,
 Non fuerit diris lugubre sidus aquis?
 Quidquid id est, asper timor omnibus incubat
 vndis,
 Adfultantque breuem spumea bella trabem.
 Hanc primū vt vidi cymbā, heu! in turbine vidi;
 Et vidi, heu! lacrymis naufraga pænè meis.
 Exitus hic somni est; (somno quis vanior error?)
 Et tamen ille meæ dux fuit antè rati.
 Magdala sic lacrymat data præda procacibus
 Euris,
 Quam rapit incertis ventus & vnda fretis.
 Haud tamen occumbit vesanis fracta procellis:
 Dux cui spes, puppis spe duce tuta natat.

ELEGIA IV.

*Aestus MAGDALENÆ inter Spem
& Metum.*

MOBILE sulcat iter maris arbitra pinus &
Euri,
Et procul Ifaciis abnatat exsul agris.
Et Mariam, Mariaque pio cum fratre sororem,
Vecta mari pondus nobile cymba vehit.
Quam nihil in fluxo fidum sale? turbinis instar,
Heu! Timor in placidis Magdalin vrgeraq;is;
Stansque atrâ in tunicâ piceis sic infit ab vndis:
Quo ruis vndoso non reditura freto?
Irritaque feras audaci lindre procellas,
Quas non sustineat pinea silua solo?
Quis furor hic vastos curtâ trabe scindere fluctus?
Sola fretum, vinctes Magdala sola Notos?
Hinc latrat fera Scylla, vorax fremit inde Cha-
rybdis,
Et Nerei rabies, Aeolidumque furor.
Quis tibi nunc animus? tantis obnoxia damnis,
Quâ flectes trepidam fluxa per arua fugam?
Frangere tot armatas flammis vndisque procellas;
Tunc demum apta rati laurea ferta leges.
Sed non est tumidos ut speres vincere fluctus,
Bellaque nauifrago deuoluenda mari.
Nunc igitur prono pelago lege littoris oram:
Sin; dabis irato iusta piacula mari.
Sic Timor; & rapido simul impulit impete fluctû
Monstriferû: iecta graui pondere cymba gemit.
Dat latus alternum circum bacchantibus vndis:
Heu!

Heu! propè iam tumido gurgite succubuit.
 Parte aliâ mœis sed Spes alludit in alis,
 Quaque venit, pontus parte serenus agit.
 Magdala quæ dubiis tibi mens nunc innatat vndis?
 Si Timor absterret, Spes iubet astra sequi.
 Illa ferâ vt Tethyn, rabidos sic vincit & Austros,
 Quæq; tuum cingunt monstra tremenda latus.
 Dixit, & in vacuas Spes auolat ilicet auras.
 Lux brevis irradiat, cetera noctis erant.
 Littus vt alternis vagus æstus oberrat arenis,
 Incertumque brevis fit sibi arena fretum:
 Sic par cura tuo voluit sub pectore fluctus,
 Spesq; Metum discors, Spē Metus ipse premit.
 Turbidus inde Timor millena volumina versat,
 Spes facili hinc remo mobile verrit iter.
 Heu! lacrymas inter suspiriaque æmula vento,
 Ambiguo in fluctu naufraga corda natant!

ELEGIA V.

Massilia inuitat MAGDALENAM.

O Zephyre errantem pennâ rege præpete
 cymbam;
 Nō grauat hoc pondus, prora quod arcta capit:
 Seu potius passis celer eueche Magdalin alis;
 Tam pia ferre mari sidera magnus honos.
 Pennigero in curru cur non eat altior vndis,
 Quæ tot inhumanâ sub cruce bella tulit?
 Parua licet ratis hæc, cui nobile Magdala pondus,
 Dignior Argoâ est, quam vehat vnda, trabe.
 Vt quid adhuc tardas? nescis? gēs proxima Diuis,
 Ni faucas, Euro ludicra turba cadet.

F 2

Eia,

Eia, sacram pennâ celer excipe remige puppim,
 Ne bibat æquoreas naufraga cedrus aquas.
 Te saltem adiuro, volucres mea iussa perauras
 Defer, & occiduis Aeole clange plagis;
 Et cane: Massiliâ quotquot stabulantur arenâ
 Veliferæ puppes, puppiferæque domus,
 Ilicet abrumpant omni retinacula saxo,
 Magdaleoque ferant obuia vela choro,
 Si Syrij adlatrant fugientia vela molossi,
 Ac patrio absterrent liuor & ira solo:
 Non eadem rabies Phocæide feruet arenâ;
 Ionis hîc Graiûm sed sapit vnda salem.
 Mens Gallo melior: magnæ soror æmula Romæ
 Massilia inuitat, hospita Nympha, ratem.
 Hîc faciles animi, blando hîc Charis obuia vultu:
 Hospitia hîc lassis publica pandit Amor,
 Nunc agedum, quæ tot ventis luctaris & vndis,
 Fessa mari huc fessam Magdala flecte ratem.
 Cernis? amica meus pandit tibi brachia portus:
 Te tutò excipient littora curua sinu.
 Trans Nilum & Tanaim, trans Rhenum, In-
 dumque vel æquor,
 Sceptra Charis nusquam candidiora regit.
 Sunt etiam & nemora hîc, vallesque, lacusque,
 speculque,
 Aptaque sunt lacrymis regna relicta tuis.
 Euge, coronandæ florent hîc lilia fronti,
 Magdali siue tuæ, Lazare siue tuæ.
 Sed quid te moror, & lentis spem prorogo ventis?
 Militat obsequio ventus & vnda tuo.
 Tam nusquã Aeolidûm tumido fera prælia ponto,
 Sed stagnant placido lubrica regna mari.

Aurea.

Aureaque innumeris pingit nox equora flammis;
 En tua ter felix cymba per astra natat.
 Cernere erit classes æquatis currere velis,
 Magdaleam vt cingant obuia vela ratem;
 Et plenū magnis trabibus mare feruere, & vndis,
 Queis sit Massilio Magdala stella mari.

ELEGIA VI.

*Celestina Genij Massiliensis ad
 MAGDALENAM.*

PALANTEM vt vidit per lubrica stagna ca-
 rinam

Massiliæ Genius, lynceus Argus aquis;

Ilicet enodes celer ille per aëra pennas

Explicat, & Cæli nubila regna secat:

Quaque præit, lux insequitur, mirantibus astris,

Aëriumque terit arduus ales iter:

Donec ouans propiore latus ratis attigit alâ;

Tum demum lacerâ constitit ille trabe.

Non sine luce caput sibi lilia fulua coronant;

Vnde micat purum per freta cæca iubar.

Aspicit hinc trepidas trepido cum fratre sorores,

Quas rapit vndosis fluctus & aura viis.

Et simul vt sensit versari in turbine leti,

Pallidaque ora metu, liliger hospes ait:

Euge, procellosas mea Magdala discute curas;

Nunc agitur vento linter & vnda suo.

Trunca licet remo, clauo licet orba magistro,

Certa tamen fido tramite curret iter.

Vndifonas hiemes, & turbida bella triones,

Scyllæaque minas, fulminosque globos,

Franget iō victrix ratis; edomitumque per aquor
 Clara triumphali puppe tropæa vehet.
 Dixit, & hæc firmat plaudentibus omina pennis.
 Clara dat æthra faces, festa dat vnda choros.
 Cymothœeque, Halieque, Amatheaque, & Ori-
 thya,
 Spioque, Axinoëque, & Galatea soror,
 Nereidumq; parens, simū & pecus Amphitrites,
 Et Glaucus Cyano quos regit orbe greges,
 Agglomerant agiles vndosa per arua choreas,
 Ac tremulis pinnis orgia fausta vibrant.
 Et venit vndifono comes Aeolus ipse triumphos
 Quæ tuba vox belli, tibia pacis erit.
 Sis memor antè tuis quæ se stitit obuia velis,
 Ibit in amplexus Gallica Diua tuos:
 Auricomosque tuâ figet trabe Gallia flores,
 Quæque prius somnus, lilia sidus erunt.

ELEGIA VII.

*Amor diuinus MAGDALENAM in
antrum inducit.*

MAGDALA Massiliâ sedem vt defixit eremo,
 Visit in experto barbara tesqua pede.
 Erat arenosis procul hospes inhospita campis:
 Nescia lustrat agros, nescia lustrat aquas.
 Cui comes & iuus Amor viridâte vagatur in agro,
 Metaturque pari frondea regna pede.
 Hic iuga nexa iugis, hinc vmbriferæ conualles,
 Hic specus, atque cauo scrupæa tecta specu.
 Hic viret & sacra lotos, amœno vertice lotos,
 Lotos ab Eois aduena silua plagis.

Imme-

Immemor hinc patrię succedit, & incubat vmbra
 Magdalis, Ifacio iam procul exsul agro.
 Fortè granem patulã dũ frangit in arbore solem,
 Algidaque ardentem frigerat aura diem;
 Ecce tibi Pandionix soror æmula Prognēs
 Erudit argutis colla canora modis.
 Nunc variat flexo, stanti nunc gutture firmat,
 Nunc lentat, rapido nunc rapit ore sonum.
 Nunc acuit claro, fusco nunc murmure densat,
 Nunc reuocat, longas nunc trahit illa moras.
 Denique se cunctas lyra viua figurat in artes:
 Luce canendo sonat, nocte canendo sonat.
 Idque vbi bis septem reuehit Sol Maius Eoos,
 Septenos numeros accinit Atthis auis.
 Augurium felix addicit prosperus oscen:
 Omen ab augurio nobile captat Amor.
 En, ait, ò mea Nympha, tuæ par sortis imago:
 O te felicem qualia plectra manent!
 Ite mei, lætum Charitum genus, ite clientes,
 Et date Magdaleis orgia festa choris.
 Ite pares, habiliq̃ue fides impellite plectro;
 Septena vt rapiant Magdalin astra lyrã.
 Sic ait, hæsit Amor: pia Magdalis hæsit: in auras
 Visus vterque rapi, raptus vterque silet.
 Nec penitus silet: in dulces cor liquitur imbres:
 It pro voce pius muta per ora liquor.
 Hæc inter testudo cauis proserpit arenis,
 Et furim trepidos lambit amica pedes.
 Magdalis vt sensit, primùm stupor admirantem
 Defixit. tacito lumine risit Amor.
 Eia graues, ait ille, metus depone: sub illã,
 Cerne, ferã, pietas hospita recta colit.

Qui latet arcanâ testudine clausus & antro,
 Quale colis, Stygio tutus ab hoste later.
 Annuit arridens tranquillo Magdala vultu,
 Ut procul ab mundo deuia regna colat.
 Hoc, ait, in saxo (saxumque ostendit & antrum)
 Iam mihi securæ regia pacis erit.
 Hic teneris foliis, tenerisque sub arbore libris
 Magdalis inscribam nobile nomen, AMO.
 Magdalis & I E S V S concors in cortice nomen
 Cresce diu, & pulchri crescet Amoris honos.
 Hac si carpat iter fortasse viator eremo,
 Magdalis & I E S V S nomina nupta leget.
 Scripserat: in viridi iam Magdala frondet I E S V,
 Optatamque diu iam subit illa domum.
 Flexipedes hederæ crispo connubia musco
 Hic iungunt viridi consocianda toro.
 Hic agili pedelapsa, relapsa per aspera montis,
 Desilit aëriâ Nympha caduca petrâ.
 Dum bibit, & gelidâ sibi Magdala tēperat artus,
 Fonte leuante sitim, fonte latuante pedes;
 Ecce tibi siluæ denso prorumpit asylo,
 Et premit infesto Magdalin ore lupus.
 Inclamat comitē pia Nympha. quid ille tremorē
 Deserit? ista truci iam cadat agna feræ?
 Verte vices: iusta fera mox cadet hostia mortis;
 Et lupa mox agni fata gemenda gemit.
 Cerne, leo penito quo Magdalis accubat antro
 Emicat, & quadrupes vltor ad arma ruit:
 Et rauam rapit vngue feram, rapit asper hiatu,
 Dilan: atque trucem vindice dente lupum.
 Viuida Magdalei leo victor imago triumphī est.
 Diua premet Stygios facta leæna lupos.

ELEGIA VIII.

*Amor diuinus MAGDALENAM
donat speculo.*

MILLE per am fractus, & mille per auia rerum
 Ut latis immensum Diua cucurrit iter;
 Obnixum montis molitur ad ardua gressum,
 Et tandem aërio perstat anhela iugo:
 Respiratque, trahitque animam, sudatque, la-
 batque;
 Quaque gemens surgit, fessa recumbit humo.
 Et tremulum crebro cor pulmo flagellat in ictu
 Ipse tremens: trepido pectore vena micat.
 Tandem respirans vastum circumspicit orbem,
 Montis ut aprico vertice fracta stetit.
 Vitalesque auidis ut naribus imbibit auras,
 Adstruit herbofo cespite lassa torum:
 Ac pronum caput acclinat frondente sub vmbra,
 Languidulumque latus, languidulosque pedes.
 Hic gemit, hic veteres suspirat anhela querelas:
 Qui fuit ah! Solyimis, hic quoque mœror erit.
 Nunc auidis oculis terras metitur & vndas,
 Nunc leuat ad superas ora supina domos.
 Præcipue nitidis appingit lumina lymphis,
 Et speculum in vitrea par sibi quærit aqua:
 Et spectat siluas, & opaca cacumina rupes,
 Quæque fluentisonis rupibus vnda salit.
 Quæ dum fortè vago trahit errabunda recursus,
 In socias tandem fons coit omnis aquas.
 Vnde lacus paruo stagnat iuga limpida ponto,
 Et ludit placido candida turba lacu.

F 5 Spes

Spes natat hoc stagno niue purior ales : olorem
 Esse putes; & erat Spes niue sparsus olor.
 Hæc vt anhelanti sese stitit obuia Diuæ,
 Quam labor asper habet, de quæ labore dolor;
 Feruida pennigero Spes temperat ora flabello:
 Lenior vrentem diluit aura diem.
 Quin & Amor capiti superemicat arduus ales,
 Deque suis alis roscida flabra parit.
 Magdaleoquæ sinu speculum dimittit ab alto,
 Purus inoffenso cui micat orbe nitor.
 En tua dos, inquit, cælo quam mittit I E S V S;
 Vt I E S V M hoc speculo lyncea tora legas:
 Aurea bissero quod imago coronat in astro,
 In I E S V effigie totus vt annus eat.
 Adijcit ille soli que maris que volubilis orbem,
 Cui coit in teretem, ceu pila, terra globum.
 Hic dices Asiæ campos ostendit & vrbes,
 Hic sicæ Libyes torrida tesqua notat.
 Armifonæ hinc ostendit opes tumida squæ; tot vrbes
 Europæ, & culto rura beata solo.
 Quin etiam Americæ (quid enim non norit I E S V
 Nobile lumen Amor?) barbara regna legit.
 Hic iubet, inquirat, I E S V S quas incolat oras,
 Quôve viam flectat puluere, quôve mari.
 Sed tuus hinc nusquam est, quem passim indagat,
 I E S V S.
 An toto ergo fugit exsul ab orbe Deus?
 Heu! quid ago? nimum cæcis ô parce querelis.
 Erraui, fateor: nox grauat atra caput.
 O ego quem nullum vidi vllò in cardine I E S V M,
 Omnibus hunc spectat prouida Diua plagis.
 Hic variam in fortem sibi mille hinc inde figuras
 Induit;

Induit; vt facile est, cor vbi mollit Amor.
 Quemque suis pingit natura coloribus orbem,
 Dædaleus mimâ mente repingit Amor.

ELEGIA IX.

MAGDALENA IESVM *omni in
 re contemplatur.*

Hic vbi desertis palatur Magdala campis,
 Sive virens saltus, sive sit alta filex,
 Antra, lacus, fontes, dum, iuga confraga, valles,
 Et quidquid sterili damnat eremus humo;
 Omnibus in saxis IESVS, omni arbore IESVS,
 Omnibus in siluis, omnibus ille iugis.
 Omnibus in foliis IESVS, omni aëre IESVS,
 Omnibus in campis, omnibus inque vadis.
 Nil animo aridet, quod non aspirat IESVM;
 Nil oculo, quod non eius imago notat.
 Si quid dulce strepat fringilla, vel Atthis aëdon;
 Vult IESVM hæc, IESVM vult canat illa suum.
 Si qua susurra leui fors sibilat aura flabello;
 Dulcè illi IESVM sibila flabra sonant.
 Si quis in argutis crepitat fons vallibus errans;
 Visa illi est IESVM garrula lympha loqui.
 Si qua cauo petram specus altior haurit hiatu,
 Multa sonans mutam Diua stat ante specum.
 O quoties geminat IESV! mea gaudia IESV!
 Mi IESV, ô quoties rursus in ora redit!
 Vos iuga, vos valles, vacuæ vos inuoco rupes,
 Quæque sedet resono Nympha canora specu:
 Dicite vos vnum concordi murmure IESVM;
 Vnica vox IESVS omnibus erret agris.

Nec sit inaccessâ magis angulus vllus eremo,
Qui non in I E S V publica vota canat.

Sic vouet illa, suis sic imperat arbitra filuis.

Consona non fallit, quam dedit aura fidem.

Saxa sonant, sonat vnda, specus sonat omnis

I E S V M:

Tesqua sonant I E S V M, consonat omnis ager.

O quoties geminat reparabile murmur I E S V M

Virgo repercussio ludere docta sono!

Quis numeret, I E S V M quoties pia vocis imago

Reddat, & alterno Magdalis ore gemat?

Insuper hîc omnes implet hoc nomine siluas;

Omnis ad hunc solem silua superba viret.

Si quercum notat, in quercu frondefcit I E S V S;

Si platanum, in platano frondeus ille sedet.

Palma legit I E S V M, concors legit ornus I E S V M;

Arboreis I E S V S crescit vbique notis.

Quin & adoptiuus insculpit saxa figuris:

Aureolâ I E S V M cuspide scribit Amor.

Et cui non I E S V M passim commendat arenâ,

Inscribens docili vota legenda solo?

Magdalis & I E S V S par nomen oberrat eremâ.

Occurruntque pares omnibus ambolocis:

Mutuaque innectunt concordî fœdera nodo,

Conspirantque pares ille vel illa faces.

Magdalin & I E S V M cunctis vt vidit in oris,

Et pariter cunctis audiit ire locis;

Magdalin in I E S V M, num I E S V M in Magda-

lin ardor

Verterit alternus, nescio, dixit Amor.

Hoc scio: de nihilo Deus vt parit omnia; & ipsum

Omnibus è rebus parturit illa Deum.

E L E.

ELEGIA X.

*E creaturis speculum sibi in eremo
MAGDALENA conficit.*

MAGDALIS vt fixit Phocæo littore puppim,
 Quærit inaccesso deuia tesqua solo:
 Et deserta suis indagat idonea cœpris,
 Quæque nouant questus tristia regna suos.
 Nesciaque ignotis palatur Magdala campis;
 Aërio tandem restitit ægra iugo.
 Natiua hîc mûdi sibi quidquid adumbrat imago,
 Dædaleâ artificis mente repingit Amor.
 Si legit astra, Poli spes sera deurit amantem;
 Sin terras, memorem pristina noxa grauat.
 Noctis amans clausum si vesper inumbrat O-
 lympum;
 Par, ait, heu! animam nubilat umbra meam.
 Si roseo thalamo crocæque è nube renascens
 Purpureis orbem lustrat Eoüs aquis;
 Par mihi lumen, ait, radians affluit I E S V S,
 Discussitque meo nubila clausa sinu.
 Intexit fuluo radio Sol cærulea mundi,
 Pallidaque auricomis astra triumphat equis?
 O iubar! exclamat; cur non par mutor in astrum?
 Aeternoque parem fidere duco diem?
 Si qua micat, tremuloq; vibrans conuiuet oculo
 Stella vigil, terras dum sopor vduus habet;
 Nox speculum, fax stella meo præluet Amoris
 Cura silet mundi, sed vigil ardet Amor.
 Sin pernox tacitos exsudat Cynthia rores;
 Triste silens fluidis rorat & illa genis:

Distillatque pares humenti lumine lymphas;
 Nulla sed his crescit florea messis aquis.
 Teligero in saltu si damula cincta periclis,
 Palpitat imbelli cum grege iussa mori;
 Sollicitusve lepus frondenti pullulat antro,
 Præcipiti que secat roscida prata fugâ,
 Et trepidans trepidante solo tremit ora Ly-
 cicæ;

Hic timor ah animi, dixit, imago mei est.
 Sicubi debellat cæcum nox frondea solem,
 Excludit que hilarem silua maligna diem;
 Sic memini, (meminisse dolor) pro crimem &
 error!

Depulit immemori pectore noxa Deum.
 Baccatis si terra virens pallefcit oliuis;
 Inde suis flammis pabula grata legit.
 Sirius apricis si collibus incoquit vuas;
 Vult sibi mite coquat lacryma cruda merum.
 Aërios pendente viâ gens plumea campos
 Si secat, & pennâ remige tranat iter,
 Nubila que umbrosis subtexit cærulea pennis,
 Ingeminans querulos ad sua plectra modos;
 Sic volucris lusit lasciuia licentia cursu,
 Vnde leui è ludo fera querela gemat.
 Lubricus obliquo si labitur agmine serpens,
 Aut violat castas hydrus adulter aquas;
 Sic mundi malè-suadus amor subrepsit & error,
 Vnde meum temerant atra piacula finum.
 Rupe cauâ si lympa salit, vitreâ que latebrâ
 Naiados è greinio prata per vda fugit;
 Sic mæror geminos vbi lumina vertit in amnes,
 Ora per & pectus lacryma prona fluit.

Anguis

Anguipedes hederas notat, auricomosque co-
rymbos,

Quæis nubit viridi silua marita proco?

O cur non molli mea & induo brachia nodo,

Aureus vnde sacri fructus amoris eat?

Si teneras violas & florum pabula rores

Prata per & campos Dædala libat apis;

Narcissoque, crocoque, rosaque, & flore cyperi,

Ceu nardo, ambrosius Magdalin afflat odor:

Deque fanis apium quid nescio dulce regustans,

Ore, oculis, animo gaudia blanda bibit.

Si cælum irritat audaci in nubila saxo,

Adfultatque alto terra superba iugo;

Sic mihi diu tumido turrita superbia fastu

Pænè giganteâ rescidit astra manu.

Vos testes Solymi scopuli, (modò sensus in illis)

Quæque Palæstino mœnia monte sedent:

Si qua tremens viridi fors palpitat vmbra sub
orno;

Magdala sic dubio cor micat iccta metu.

Quot caput hirta Ceres duris inspicat aristis:

Tot stimulis mœrorum pectora læsa ferit.

Obuia si rupes vocalem è rupibus echo

Euocat; heu! mœstis aggemit agra modis.

Si prædam viduis euerrunt retia stagnis;

Ah! gemit, hæc vitæ pristina forma meæ est.

Quot steriles sulcis exscindit arator auenas;

Tot legit illa suis crimina vultu fibris.

E ramo in ramum si penniger euolat oscens;

E venâ in venam sic abit ales Amor.

Si nemora iccta gemunt circum bacchantibus
Austris;

Lucti-

Luctifonum gemitum Magdala rauca sonat,
Denique fors variis quidquid dedit obuia campis,
Id dolor, aut iusti causa doloris Amor.

ELEGIA XI.

MAGDALENA *ad Crucis effigiem deliquium passa, recreatur.*

Hic ubi frondentes late nemus explicat
vmbas,

Et Deyas vmbroso ludit amœna solo,
Eximiumque caput malus sustollit ad auras,
Malus inauratis ambitiosa comis;
Magdala frondosam supplex accumbit ad aram,

Crux cui sanguineis purpurat vncta notis:
Vitalesque sacra decerpit ab arbore fructus,
Quales sanguinea de trabe spondet Amor:

Et modo concretos informi puluere crines,
Et modo corda legit saucia delacrymans.

Nunc oculis oculus, nunc frons sedet obuia fronti,
Nunc gena iuncta genis, nunc labra mista labris.

Purpureas quoties emulget ad oscula plagas,
Impia qua bipatens diffidit hasta latus!

O quoties! quoties oculis sitientibus imbres
Imbibit ab spinis, spinigerisque comis!

Amplexuque iterum stringens lacrymosa Ma-
gistrum,

Implicat ora labris, implicat ora genis.
Oscula dat manibus, pia diuidit oscula plantis;
Nec fatiant auidam suauia mille sitim.

O quoties plangensque, gemenisque, querens-
que, & anhelans

Suspi-

Suspiransq̄ue redit, & premit arcta Deum!
 Magdala vulnificis tandem vndique faucibus,
 Vulnere ad hæc, vnum iam nisi vulnus obit.
 Vulnus Amorisabit iam Magdala, tota doloris
 Effigies, Sponso par sit vt illa suo.
 Et tacitis secum depugnat acerba querelis,
 Inque Deo noxas arguit ipsa suas:
 Ah scelus! infanti quis vulnere fixit I E S V?
 Tot quis probra dedit? id scelus omne meum.
 O Amor! ô dolor! ô! sic ô mea gaudia luctus
 Occupat, & I E S V M mors scelerata rapit?
 Si fera crux tepido posset mollescere fluctu;
 Iam pridem tepidis mollior isset aquis.
 Crebra teri durus si posset ad oscula clauus;
 Cessisset dudum victus amore rigor.
 Frangere si spinas posset manus aspera tactu;
 Fregissent rigidæ spinea tela manus.
 O lacrymæ! ô nostris gratissima pabula curis!
 Ite Dei in plagas, quâ iubet ire dolor.
 Mi I E S V, ah I E S V, I E S V ter dixit, & eius
 Hæsit in amplexu, ter sibi visa mori.
 Illa graui in luctu decumbit, & exspiranti
 Iam propior sidit cespice graminco:
 Inque breues violas, & olentia gramina nardum
 Labitur, ex sanguis, languida, semianimis.
 Tun' scelus hoc potis æthra pati? sic Magdalis,
 cheu!
 Magdalis ignotis oppetit iceta plagis?
 Et tu lætitiæ sator ille venustus, & orbis
 Delicium, testis Phœbe doloris eris?
 Non ita: Cæligenûm Rex, Cæligenûsq̄; senatus
 Semianimi Diuæ gaudia pura vouent.

Nec

Nec mora : pars casiam, molles pars colligit
herbas,

Pars grauidis ramis dulcia poma legit.
Ille caput fulcit violis, hic spargit amomo,
Hic viridem menthâ spargit olente torum.
Hic animam profugam pomis inuitat odoris,
Et reuocat spargens vda per ora crocum.
Ast alius frontem scillite perungit aceto,
Nectareôve pluit ebria mella mero.
Denique pennati quotquot cinxere clientes,
Ambrosius afflant diues aroma labris.
Quos inter lyra fidereis cui stellat ocellis,
Auratâ in trabeâ, stelligerâque comâ,
Aurea plectra regit, festoque choragus honori,
Increpitar tremulâ fila diserta manu.
Lingua suæ lyra viua lyræ, vox æmula certat,
Associatque pares ad sua plectra modos.
Magdala vocales vix auribus imbibit auras,
Reliquias animæ colligit ægra suæ.
Mens redit & sensus, fessâque resurgit ab herbâ,
Miraturque novos ad sacra plectra sonos.
Liquitur & liquidis oculis sincera voluptas :
Lacryma melliti nectaris instar habet.
Qualis Hyas largos cum fat defluxit in imbres,
Emergit riguis Phœbus amœnus aquis;
Purpureumque caput superas attollit in oras,
Vnde vident verno gaudiâ picta solo :
Sic vbi flens oculus fluxit (Hyas ille doloris)
Altior innubi fidere lucet Amor.

ELEGIA XII.

MAGDALENA *septies in diem*
rapitur.

DICITE IÔ: Notas Amor ecce recurrit ad
artes,

Et tritas toties atterit vsque fides.

Plectra lyræque sonant, vox adsonat æmula
plectris:

Ore canora, fluit aura canora manu.

Magdalis hac aurâ veteres hinc excitat ignes,

Concipit inde novos: saucia vtrisque flagrat.

Rursus ouans Diuam blandæ dulcedine linguæ,

Rursus iô dolci pectine mulcet Amor.

Rursus & arguto chorus aliger increpat ictu,

Attenuatque manu lenè tremente chelyn.

Tollitur, & nescit, arcano Magdala raptu;

Et propius spectat nescia Diua Deum:

Deliciasque nouas casti prælibat Amoris,

Quas olim supero spes vouet alma toro.

Rursus & aliferæ choreæ sacer ille choragus

Sollicitat resonas ad sua plectra fides.

Rursus & astrigerum meditata Maria trium-
phum,

Inuchitur rapidis clara per astra rotis.

Rursus ouans liquidis demulcet vocibus auras,

Et vocale breui pollice radit ebur.

Rursus & ætherias se mens euibrat in auras:

Quæ benè rapta semel, sæpius apta rapi est.

Quoties supero nunc Magdalis ardua regno

Mi I E S V geminat, immemor ipsa sui?

Blan-

Blanda mei IESV carpit mihi flamma medullas,
 Inque vicem flammis carpitur ille meis.
 Vna duas animas animam fax conflat in vnam;
 Et fors vna duos iungit, & vnus Amor.
 O ego! quàm dulces concordi è lumine flam-
 mas!

Quas ô delicias! gaudia quanta lego!
 Felicem Superi, felicem sidera plaudunt,
 Felicem luteâ quisquis inhæret humo.
 Cui datur ab IESV sibi cor de corde pacisci,
 Cor vnum è gemino quò sibi corde legat.
 Sit modus hîc tandem, qui finiat orgia Diuûm;
 Sed quis inexhausti finis Amoris erit?
 Rursus ouans plectris, & ouans vocalibus auris,
 Depectit resonas turba canora fides:
 Rursus & vt carmen reparabile fluxit in aures,
 Magdalis ætheriis euolat alta plagis:
 Donec iò toties alterna recurat Olympo,
 Altra quot erroneus clarus Olympus habet.
 Errantes imitata globos septemque triones,
 Quot lyra Thressa fides ad sua plectra tulit;
 Et quot Iesseidæ lyra fudit eburna canores,
 Dum septem reparat hora diurna preces;
 Denique quot IESVS dedit aspirâ in cæde
 cruores,
 Quotque pari lacrymas mater in imbre
 dedit;
 Tot numeris quoque Magdaleas chelys eru-
 dit aures,
 Totque choros agitât Magdalis apra rapi.
 Et verò rapitur, superisque eludit in aulis,
 Et sola fulua terit, quæ modò culmen erant.
 Qualis

Qualis iô hîc bibulis venis illapfa voluptas,
 Quamq̃ue fluunt dulces ima per offa faces!

ELEGIA XIII.

Dulcedo raptus MAGDALEI.

EXSVL humi patrio legas suspiria Cælo;
 Ardua legantem vota secundat Amor.
 Quantagemis, totam volucres te mutat in alas:
 Iam cor aligerum Magdala tota volas.
 Libera in ætherias sese mens explicat auras;
 Hîc legis effuso munera mille sinu.
 O te felicem! fortunatissima Diuûm,
 Quæ luteam stadio cælite vertis humum!
 Nunc piget è terris Cæli ardua templa tueri:
 Mens super alta volat sidera, terra vale.
 Terra fugit, fugit vnda maris, fugit imbrifer
 aër:

Stat modò par puncto, quod priûs orbis erat.
 Iam Lunæ Venerisq̃ue globos, Solisq̃ue, Io-
 uisq̃ue,

Saturniq̃ue rotas, Mercurijq̃ue premis.
 Et tandem ingrederis vastis spartiantia tectis
 Atria, pennigeris atria digna choris.
 O Cælum! ô Diui! ô aurata monilia stellæ!
 O lyræ! & ô festis plectra marita lyris!
 O vbi mens? ô delicia! ô quæ gaudia Diuûm!
 O & deliciis orgia mista tuis!

Hîc tibi cor toto perfundit copia cornu,
 Hîc implent auidum gaudia larga sinum.
 Occupat hîc vigilem somno sine somnus amo-
 rem,

Otia-

Otiaque immensis ebria deliciis.
 O quot amans pateris Diuini luminis ignes!
 O quot amans riuos nectaris vda bibis!
 Vis numerem? numera stellas quot inaurat O-
 lympus,
 Et quot alit Baccho vinea feta botros.
 O gustum! ambrosios iam tota liquefcis in
 imbres,
 Nectareoque makes ebria tota mero:
 Cælestesque auido prælibas pectore flammæ,
 Felices animas quas sacer afflat Amor!
 Ante diem si læta bibis tot nectaris haustus,
 Quid dabit, ô! Cælo qui satur vndat Amor?



LIBER QVINTVS.
MAGDALEA
SILVA.

I.

*Tropæum Amoris de septicipite in M A G-
DALENA peccati hydrâ.*



v s v rebelli bellua septiceps
Insultat ardens turrigerum caput;
Et Magdalenam lacrymantem
Mille voluminibus fatigat:
Et belluoso proruit agmine
Turrim superbam Dux furor impotens.
Heu! lacrymosam tot sub armis
Magdala deuoluit ruinam.
Non sic, vt olim, nunc draco, & horrida,
Mors, parricidâ cum grege, Magdalin
Fractam procelloso duello,
Sternet ouans tumidis sub hydris:
Telo sed ardens Rex Amor aureo,
Septemque in ignes fulmina diuidens,
Nimbo trifulco perduelles
Subruet armipotens phalangas.
Librat minaci spicula pondere
Vltor piandi criminis arbiter,

Lance

Lance æquilibri quò scelesto
 Supplicium capiti reponat.
 En fulminatrix dextera Numinis
 Quercum ad superbam stringit, & opprimit
 Claro catenatos tropæo
 Nobile ludibrium ceraftas.
 Stridet tenaci compede, & infremit
 Duro metallo vinctus, & anxias
 Spiras, inabrupto illaborans
 Ingeminat laqueo chelydrus.
 Hic ira, liuor, fœdus amor, gula,
 Auri cupido, fastus, inertia,
 Stricti sub æratâ catenâ
 Sanguineo ftadio ingemiscunt.
 Vexilla celsâ turre sed arduus
 Victor reponit Magdaleum in decus,
 Prona vt ruinâ deuolutos
 Fudit Amor populans dracones.
 Turrim en corusco fidere, gratia
 Septena Pleias lustrat, & aureæ
 Diuæ triumphales honores
 Purpureis radiis coronat.

I I.

Dina Metancea MAGDALENÆ
crymas sibi concedi postulat.

VND A iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 Vis doloris impotens
 Feruidas mihi medullas
 Torre decoquit procaci;

Cor Amore liquitur.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Frigerante cum flabello:
 Fax bibit medullitus,
 Ossibus cauisque venis
 Quisquis humor innatat.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Molliore cum susurro:
 Vita migrat artubus,
 Deque corde, deque venis,
 Exsul his sub ignibus.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Viuidi liquoris vna:
 Vnde rore succido
 Pabulum bibit salubre
 Fax alumna sanguinis.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Puriore cum liquore:
 Aestuante Sirio,
 Cerne, puluerofus vsta
 Corda squallor obferit.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Gemmeasque sparge guttas:
 Hic seram rosarium,
 De cruore, deque rore
 Flebili bis ebrium.
 Vnda iugis, vnda dulcis,

G

Vnda

Vnda lenis adnata,
 Roscidâ pluens ab vrnâ,
 Algidiſque lacrymis:
 Flos ſiit, ſiit roſetum;
 Frigera cor igneum.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Candidos trahens liquores:
 Anxiſque lilij
 Languidum caput, roſamque
 Imbre paſce lacteo.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 Curre, curre, dein recurre;
 Quid morare ſegnipes?
 Flos fugit, fugit roſetum;
 Curre, curre promptior.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 Eia, Nympha quid moraris?
 Nympha, Nympha mobilis?
 An ſedes tenace muſco,
 Herbidâve compede?
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 Rumpe vitreas habenas
 Lubrico ſub agmine;
 Cæruleque vecta curru,
 Dulcis hoſpes aduola.
 Vnda iugis, vnda dulcis;
 Vnda lenis adnata:
 En roſæ ſiticolæ

Flos anhelus oscitat,
 Ardet, ardet, ardet imbres
 Quos dat alma lacryma.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata,
 Lactea fluens mamilla:
 Hinc & inde roscidis
 Lacrymis rosas marita,
 Marcidumque lilium.

I I I.

MAGDALENA *Dina Metanea*
flores lacrymis irrorat.

V N D A iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 Funde gemmulas liquentes;
 Et tibi venustiore
 Purpuram struam corollas,
 Gratus adstruam decorem.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 Milita tuis coronis;
 Lacte, melle, saccharo,
 Lacrymis, meroque, nardo,
 Imbuam comas rosantes.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata:
 De tuis inebriandas
 Lacrymis rosas inunda;
 Cassa vota fors acerbos
 Ne bibant doloris imbres.

G 2

Vnda

Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnata.
 Sed quid illigo querelis,
 Et tenace ceu catenâ
 Demoror tuos liquores,
 Demoror pedes fugaces?
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnatas:
 Et tuis aquis serenas
 Cor, rosâsq̄ue, ver Amoris
 Purpurans rubis cruentis,
 De dolore, de pudore.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnatas:
 Floridaeq̄ue spem corollæ,
 Algido nitens in imbri,
 Frigeras, rigas, & ornas
 Roscidi parens liquoris.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnatas:
 Defluisq̄ue per medullas,
 Deq̄ue fonte Magdalena;
 Deq̄ue lympidis ocellis
 Ducis aureas scatebras.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnatas:
 Deq̄ue gemmulis gemellis
 Irrigas mihi gemellos
 Candidis aquis ocellos,
 Candidæ velut columbæ.
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnatas.

O diem!

O diem ! diem beatum !
 Quale parturit venustus
 Ros decus meo roseto !
 Quale præmium dolori !
 Vnda iugis, vnda dulcis,
 Vnda lenis adnatas.

I V.

MAGDALENÆ *suspiria, vt*
mundo eripiatur.

MEAE deliciae, mei furores,
 Ritus, blanditiæ, facetiæque,
 Lusus, illecebræ, ioci, susurri,
 Arguti gemitus, leues amores,
 Et suspiria, lacrymæ, faciesque,
 Ludi, vina, sales, procacitates,
 Chori thyrsigeri, Cupidinesque,
 Sirenes, Veneres, mei dolores;
 Ac Comi, malè feriata turba;
 Ac quantum Cypridi est faui merique,
 Vale, & Cypri vale: vale doloso
 Mundo quidquid inest ineptiarum,
 Et quidquid nitet elegantiarum,
 Et quidquid sonat hîc facietiarum,
 Seu picta id gena, siue picta lingua est:
 Et quantum est genij beatoris,
 Et quantum fatui natat leporis,
 Quod fallacibus ebriat venenis
 Cor iam corde carens, cor viterosum,
 Vale perpetuum; simulque salue
 Lucundum scelus, & scelestus error,

G. 3,

Atque

Atque in Morboniam procul faceffe.
 At tu simplicitas, pudor, dolorque,
 Castimonia, veritas, timorque,
 Temperantia, charitas, modusque,
 Et segura quies, Amorque castus,
 Et quidquid pia corda, seu medullas,
 Diuum nectareo rigat Lyæo,
 Adsis ô precor anxie clienti.
 Me, me terque quaterque, septiesque,
 Milliesque, vel amplius reuinctam,
 Heu! blandis furor illigat periclis:
 Et necdum nimis ah! nimis tenacis
 Mundi dulcibus eripis catenis,
 Et tam dulce furentibus tyrannis
 Oppressam toties, morique iussam,
 Aequo iure, manuque liberali,
 Vindex asseris in tuam clientem?

V.

MAGDALENA mundi assultum
 repellit.

SED quid tristibus illigor querelis?
 Rupta en totiuga, vincla rupta mundi:
 Et iam vindicias suæ clienti
 Asserit dominâ manu patronus.
 Nequidquam, grege cum venustiore,
 Isthuc munde redis, & hanc ad arcem
 Appellis validis seris reuinctam.
 Frustrâ blanditiæ, dicacitates,
 Argutatio, velitatioque
 Hinc dicacium & hinc ineptiarum,

Hinc

Hinc procacium & hinc ocellulorum,
 Philtra, nequitia, bonaque mentis
 Eheu! perniciēs, nocensque ludus,
 Sufurrus, iocus, hinniēns cachinnus,
 Cultus, mundus inanitate plenus,
 Dosque inaniōr ipsa inanitate,
 Risus, praestigia, facietiaque,
 Frustra fraudibus improbis & armis
 Tentatis vitreis viam fenestris,
 Tentatisque viam auribus sonoris.
 Quid me munde tuis rigas venenis?
 Quid me torquibus implicas & auro?
 Quid me mille monilibus coronas?
 Quid me floricomis trahis corollis?
 Irretisque procacibus lacertis?
 Et lenociniis tuis venenas,
 Quis nil dulcius, efferatiusve,
 Aut est, siue fuit, vel esse possit?
 Ne tu tot mihi machinas & arma
 Fraudisque ingere, & irritos labores:
 Non sic ebria fascinor veneno
 Nunc, ut nuper agens iter per Orcum.
 I nunc munde, vale; valere nugae,
 Et vos illecebrae, malaque cura,
 Olim dos mihi charior medullis;
 At dos aut fragili vitro caduca
 Aut magis laqueis araneosis:
 Vili puluere viliora dona,
 Ornamenta luto lutosiora.
 Immunde ergo procul facesse munde,
 Meae deliciae, mei furores;
 Meae iam lacrymae, prius furores:

Olim dulce decus, mei que amores,
 At nunc opprobrium meo pudori.
 Tot fastidia amara, lacrymasque
 De fumo & nebulâ, grauesque flammâs
 Turpes mundicias, decus probrosum
 Rîsus, & Veneres tot inuenustas,
 Ludos, illecebras, malos amores,
 Diris deuoueo, ter execrandis.
 Et te munde, tuam fidem, tuosque
 Eiuo laqueos, dolos, & artes,
 Et leti malè glutinosa vincla.
 Tu Proteus, dolus ille versipellis,
 Monstrum cui nitidi micant ocelli,
 Monstrum cui roseum rubet labellum,
 Monstrum cui rutili nitent capilli;
 Sed cui pestiferæ faces ocelli,
 Virus purpureum rubens labellum,
 Dolosus laqueus nitens capillus:
 Et quisquam miser, ah miser! venena,
 Faces, & laqueos, necesque amabit?

V I.

MAGDALENA altera Esther.

ALTER adest Xerxes, & Xerxe potentior
 alter:

Alter & Esther adest, Xerxis honestus Amor.
 Pulchra prior, Charitumque Charis pulcherrima
 Sufis:

Fæda sed hæc, fateor, par tamen Esther erit.
 Esther vt vna tremat, sic attremat altera CHRISTO:
 Tangit vtrique tremens aurea virga caput.

Virga

Virga sed illa nitens gemmâ de Perside scēptrum;
 Hæc autem placidi dextera prona Dei.
 At simul hanc Esther, simul icit & attingit illam;
 Hæc cadit, illa cadit: casus vterque salus.
 Ecce verecundo florescit amœna corallo,
 Et rorat roseaslympida Diua genas:
 Assueroque nouo supplex accumbit IESU,
 Vt Domino nubat sponsa decora suo.
 Cui decorat lacrymis Amor, & pudor ora py-
 ropis,
 Esthere hæc Esther pulchrior erubuit.

V. I. I.

MAGDALENA lacrymis CHRIS-
 TUM trahit.

FESTA quid obturbas atro conuiuia luctu,
 Et violas lacrymis pocla Lyæa tuis?
 Ingenuos potius meâ Magdali lude leporès,
 Urbanos epulis non malè docta sales.
 I, citharaque, lyrave, chorove, vel illice cantu.
 Demulce resonas ad tua plectra dapes.
 Sed citharaque, lyraque, chorosque, salesque
 canoros
 Negligis, & tristes non nisi spargis aquas.
 Indigner lacrymis, importunoque dolori?
 Gratulor: in lacrymis dulce quid ægra canis.
 Dulcius imbreguid est, suadum qui stillat amoris
 Nectar, & in suado nectare corda capit.
 Si patulas cor omnè rapit vox blanda per aures;
 Per vitreos orbes quid vetat vnda trahat?

VIII.

MAGDALENA *Megara victrix.*

VT stetit vltoris rea Magdalis ante tribunal,
 Eumenis infestas versat ob ora faces:
 Intentatque minas, & non placabile fulmen
 Vibrat, ab inferno dextra corusca rogo.
 Illa tremens saeuâ pallefcit imagine mortis;
 Inserpit tacitum caeca per ossa gelu;
 Singultusque includit hianti verba palato:
 Lumina iola fluunt, cetera torpor habet.
 Magdaleas vt trunco hæere sub ore querelas
 Semianimi que mori pectore sensit Amor;
 Ilicet extorsit trepidæ sua tela Megaræ,
 Horrificasque nigro sustulit vngue minas.
 Nec mora: sulphureo fumantem turbine tedam
 Extinxit tepido flumine victor Amor.
 Victa Megara iacet, victrixque triumphat Auernû
 Magdala, & insultat vindice calce feram.
 Clara triumphatis frondescit adorea monstis,
 Quam pius iste suis nutrit imber aquis.
 Et nunc illa potens Orci tremor, illa Tonantis
 Gratus Amor, flammâ nobiliore calet.

IX.

MAGDALENÆ *Amor Bellerophon.*

OBSCENO limo, Stygiæque paludis in vluâ
 Iam diu putre scelus Magdala deliruit.
 Anguineam in spiram crispo coma torta flagello
 Verminat, inque feras crinis adulter abit.
 Quanta

Quanta Palæstinis passim contagia campis
 Spargit, ouans toruis sibila silua comis?
 Heu! vbi qui sæuos sua vincat ad arma dracones,
 Quæque draconigeno nata venena satū?
 Magdalis anguicomam sibi si parit aspra Me-
 dusam;
 Bellerophontæus nunc Amor vltor erit.

X.

*Naufragium MAGDALENÆ
 è lacrymis.*

DVM nimis acclinas caput in vestigia
 CHRISTI;
 Te dolor hausit aquis, naufraga tota peris.
 Te tristi exitio vis damnat aquosa doloris.
 Quid? dolor his peccat, queis probra purgat,
 aquis?
 Ergo nouum scelus est Merancea, vel improbus
 error?
 Hæc pia si peccat, spes vbi pacis erit?

Amor sanctus respondet.

CREDE mihi, his facies non vna relucet
 in vndis;
 Sed bicolore biceps dissecat vmbra notâ.
 En amor hic, odiumque tui natat impate vultu,
 Dissonaque in fluctu dispare bella tonant.
 Sollicitosque cient alternâ sorte tumultus,
 Hinc amor, hinc odium: par quibus orta salus.
 Magdalin istud amat odium verso ordine rerum;
 Egregioque odio Magdalin odit amor.
 Quæ dū ritè paris, perdis benè naufraga mundū:

Mersa simul mundo vis moriente mori.
Exitium felix! meruit mors ista salutem.
Ah! nisi quis pereat sic semel, vsque perit!

X I.

*Oculi MAGDALENÆ gemina
pœnitentiæ sidera.*

QVÆ mundus piceo fuscavit lumina velo,
Purus in auratâ nunc face lustrat Amor.
En in Amore duces oculi sine nube, vel umbrâ,
Cœlite iam signant luce salutis iter.
Quod si quando sacro sibi quærat in æquore
portum,
Et vehat in lacrymis dux Metancea ratem;
Prouida Diua fugam gemino quo dirigat astro,
Hic Vrsa, hinc Helice, conscia signa regent.

X I I.

Dulces lacrymæ MAGDALENÆ.

QVEIS sine labe nitor puris pellucet in vndis,
Perspicuas oculo Magdala rorat aquas.
His pretium non vile, decus sed charius auro,
Et sapor in pretio diuite rarus habet.
Nam lego tot gemmas, quot flens dat Magdala
guttas:
Quotque lego gemmas, tot quoque libo fauos.
I Cleopatra, tuas baccas bibe pauper aceto:
Diuite de lacrymâ gemmea mulsâ bibam.

Lacty-

XIII.

Lacrymæ MAGDALENÆ mare.

MAGDALIS vrenti simul ac stetit obuia
CHRISTO,

Deliquat in fletum nubila corda dolor:
Ac volendarum retinacula rumpit aquarum;
Veris vt Hermonias deruit aura niues.
Nec modus: vndoso quis frena reponat Amori,
Quem Deus immensis, ceu mare, ditat
aquis?

Hinc lacrymæ (nimiùm felix liquor ille doloris)
Queis rigat albentes Magdalis vda pedes.
Nolo putes istos thalamo decurrere fletus;
Latiùs oceanis exspatiantur aquis.
Quis Nilo natat Oceanòve profusior humor,
Quàm breuis immensum quæ lauat vnda
Deum?

XIV.

Vinum mali Punici in lacrymis.

NYMPHA pluis: dubito, lympham dicam,
anne Lyæum?

Par niter illa vitro, par sapit illa mero.
Scilicet inuitat dolor ad tua pocla Tonantem:
Mustea credideram; dulcis amaror habet.
Punica credo tuos condiri ad poma liquores;
Qualia pocla fitit dulcis-acerbus Amor.

X V.

MAGDALENA CHRISTVM

lauat, & ungit.

VRERIS, & nescis: incendia dilue lymphis,
 Aut certè Syriâ perflue nube faces.
 Dat lymphas oculus, manus vda profundit a-
 momum:

Lympha pedes CHRISTI, tingit aroma caput.
 Per nebulam resonas sed quis sonor obstrepat
 aures?

Fallor? an error erat? hæret in aure sonus.
 Si tibi cura sedet bibulis dare pabula flammis,
 Quas vigil in CHRISTI pectore pascit Amor,
 Illacryma; lacryma; que piâ simul imbue nardo:
 Et Deus ardet amans nardon, & ardet aquas.
 Munus vtrumque parem pietas addicit in vsum:
 Vngit enim nardus, quem lauat vnda Deum.

X V I.

MAGDALENA *capillis quasi reti**CHRISTVM capit.*

NYMPHA tibi, Nymphis que sacris quas
 vrit IESVS,

Opto cadant votis præmia læta suis.
 Nolo trahi tenues tenui sub stamine plumas:

Digna sed aucupio te volo dona sequi.
 Antè vel infelix occumbas hostia lero,

Quàm non crinigerâ struxeris arte dolos.
 Sed struis arte dolos & blanda pericla capillo,

Et

Et trahis insidiis in tua vincla Deum.
Sic tamen, vt potius capiat te captus I E S V S.
O quantum est pulchrâ Numinis arte capi!
Te, quem crine capis, crine irretiuit I E S V S.
Ille tuo reti num quoque rete fruit?

XVII.

MAGDALENA moriens in
fontem vertitur.

D I V S Amor, volucris telum cui flauet ab
auro,
Instar venusti fideris,
Insequitur rapido pede Magdalin: illa viatim
Sursum, deorsum curfitat.
Quò magis ista fugit, magis hoc premit iste
sequaci
Vmbra graduque Magdalin.
Iamque inhians propior prensat, propiorque
tremementem
Rapace adhamat dexterâ.
An tenet assultâs? nox nubila Magdalin vmbat,
Ingenisque nimbus occupat.
Nunc ea tota liquor profugos vanescit in imbres,
Amnesque natos imbribus.
Hic quod Amor teneat, nihil est; celer omnia
fletus,
Fletuque fluctus profluus.
Nec nisi fletiferum voti manus irrita fontem
Pro Magdalenâ repperit.

XVIIII.

*Pes CHRISTI, regula ad Cælum
viam dirigens.*

AMFRACTV vario scelerū quā seuocat error,
Flectit aberrantes ad Stygis ima pedes
Magdalis, & præcep̄s pronō decurrit Auerno,
Abruptoq̄ue ruit mox peritura specu:
Limus at obliquo ne tramite fallat euntem
Flexus, & ab Cælo deuia cura trahat;
Aspice, pes CHRISTI, ceu recta salutis amissis,
Ad Superos certo limite signat iter.
Nunc habet hæc normam, rectā quā tendit
Olympo.
Nōne tenet rectum, quo petat astra, pedem?

XIX.

*CHRISTVS specie hortulani obuius
MAGDALENÆ spondet munus
VERNVM.*

MAGDALENA quō vagaris,
Anxios trahens dolores;
Gnossio velut sub arcu,
Ingemiscit icta ceruæ
Neptis, aut alumna damæ,
Cornigérve confragosis
Ibicum nepos salebris?
Siste Magdalena, siste,
Siste: nam stat irretorto
Spes gradu. sat est morarum.

Iam

Iam tuum leges Magistrum
 Ore, corde, voce, visu.
 Cultor ecce te virentis
 Hortuli, vigilque custos
 Aduocat. quid euagaris?
 Et vago gradu peragras
 Vda prata, picta regna
 Veris, herbidosque campos?
 Quem silente flens agello
 Quæris orba, quæris ægra;
 Quæris exsul, & quiritas
 Irreperta diu Magistro:
 Ecce, se tibi Magister
 Siftit, hortulanus ille
 Florido redux vireto,
 Qui tibi decus perennans
 Sedulâ manu laborat;
 Nulla quod dies edaci
 Deterat fluens in æuo.
 Nónne sarculum stat altâ
 Dexterâ, quod hîc amœne
 Sarriet seretque campo
 Ver, & aureum rosetum,
 Lacteumve liliatum,
 Flore puber æuiterno?

X X.

Instrumenta Hortulani è Cruce.

EN, in herbido vireto,
 Et Dei manu colonâ,
 In noui laboris ysum,

Rusti-

Rusticana stat supellex.
 Crux ligo, tridensque rastrum,
 Siue sarculus tricuspis;
 Cui mucro riget ter vno
 Horridus rubensque clauo.
 Nec liquor deest rigator;
 En cruor rigans rosetum.
 Hinc & inde, cerne, quino
 Flore, rore, purpurascunt
 Aureæ rosæ; rosanti
 Quas manu serit colonus,
 De cruore, de corallo,
 Et liquente de pyropo.
 Vnde surgat hoc roseto
 Spes amœna, flosque Diuum,
 Purpuransque dos Amoris
 Ver, honosque veris ardens,
 De sacro cruoris ostro,
 Cui rubens perennat imber.

X X I.

CHRISTVS hortulanus è spinis inserit
 cordi MAGDALENÆ surculum.

ISTE, quem vides, agelli
 Cultor, hortulo virenti
 Spineum Crucis cruentæ
 Surculum serit, fouetque:
 Vnde ramulum recentem
 Inferat tuis medullis,
 Termitemque senticosum
 Pangat asper hortulanus;

Vade

Vnde surgat æuiternus
 Flos rosæ venustioris,
 Dos decora, præ amoris,
 Purpurans honos pudoris,
 Fructus asperi laboris:
 Præmiumque de coronâ
 Spineâ, & Crucis sub imbre;
 Inclytum decus rosarum,
 Quotquot educat venusti
 Discolor cliens Fauoni,
 Flora picta liliætis,
 Flora picta tot rosetis,
 Flora picta tot corollis.

X X I I.

MAGDALENA rosetum spirituale suo
 cordi insitum lacrymis rigat.

FORTE ne siticulosa
 Mortis aridæ fauillâ
 Marceat sacrum rosetum,
 Insitum piis medullis,
 Pectorique purpurato:
 Roscidis riga bibacem
 Surculum genis; & vdis
 Tunc rosas tuos ad imbres
 Lactæ, fonte, puriores,
 Scriptita manu venustâ
 Candidos Amoris ignes;
 Inque flore purpuranti
 Lacteis notis figurâ:
 MAGDALENA FLOS IESV,

MAGDA-

164. BALDVINI CABILLIAMI LIBER V.
MAGDALENA SPINA MVNDO,
MAGDALENA DOS AMORI,
LILIVMQVE LACRYMARVM;
MAGDALENA CANDIDATVS
FLOS ROSAE RVBENSQVE, MISTVM
LACRYMIS BIBENS CRVOREM.

X X I I I.

*Nomen IESV scripturit suis lacry-
mis MAGDALENA.*

QVID premis angusto luctantes pectore
flammas,
Atque indignantes claustra maligna rogos?
Immensis animanda globis incendia curto
Quis celet gremio? quã data porta, ruant.
Sed pudor inclusas arcto sub carcere flammas
Opprimit, obluetans corde sub indomito.
Nec potis est pando prorumpere luctus hiatu,
In gemitus, questus, flammivomasque preces.
Quid facias, quæris? quid lamentabile ploras,
Ah! suspiria hiante ægra trahens gemitu?
Suadeo flendo loqui, non voce sonante, querelas
Nil opus hîc verbis, vox vbi viua liquor;
Ille liquor riguo qui lumine stillat Amorem,
Quique suis animi vulnera scribit aquis.
Scribitur: & quidnam? guttã cum trudit euntem
Gutta sequens, sudis I dedit ire genis.
Multa litura cadit, & littera multa; sequaci
I de crystallo lacryma longa trahit.
Iam longis I stabat aquis; iamque ibat IESVS:
Conturbat fluidas plurima lympha notas.
Nam

Nam lacrymas tereti filo quas nebat ocellus,
 Nunc glomerat densis turbidus amnis aquis:
 Parca sed undantes castigat habena liquores,
 Et rursus tenui fletus in imbre cadit;
 Iamque nouo tractu rursus serpebat Iesus:
 Hæsit in I; rapidis cetera delet aquis.

X X I V.

*Serpentes crinibus MAGDALE-
 NAE inerrant.*

TE tortili dolosus
 Draco ligat flagello,
 Et sibilas in iras
 Armat caput Medusæ.
 Ludus Medusa, ludus,
 Ludus tui dracones,
 Sed dirus ambo ludus.

X X V.

*Angues implexos crinibus MAGDA-
 LENA lacrymis oppugnat.*

TANTVM nefas venustis
 Errare tu capillis
 Sines, fines inultum?
 Impunè tot cerastæ
 Adulterant pudicam
 Frontem feris colubris,
 Et os tibi flagellant
 Vibice crispifuscâ?
 Num sic inexpectati

Hydri

Hydri comis sedebunt?
 Impunè nexa nulli
 Stat innocens nocenti:
 Tu nõnne virulentas
 In vyperas, & Orcum,
 Telum paras & arcum?
 At quo struis metallo?
 An igneis sagittis
 Stipas grauem pharetram?
 Lentõve cædis aspras
 Siluas arundineto,
 Aut corneo vireto
 Mortem anguibus volucrum?
 Cornos, arundinesque,
 Facesque sanguifugas,
 Linquis graui Gradiuo;
 Sed innocente telo
 Pugnas inermis hostis,
 Et liqueris perennes
 In lacrymas: &, cheu!
 Tu fons amarulentos
 Decurris in liquores,
 Amaritudinesque;
 Queis vberat gemellum
 Alueus biceps in amnem.
 Sic puriore liquens
 Lymphâ rigas Magistrum,
 Lymphâ domas dracones,
 Lymphâ pius piaculum.

X X V I.

Amor MAGDALENÆ innatans lacrymis, dracones suis telis figit & exurit.

SED ô diem venustum!
 Vt fortè tum sedebat,
 Sinu suavi I E S V,
 Amor; tuas in vndas
 Mox defilit, vitroque
 Et hinc & hinc fluenti
 Ludit nator ardens,
 Ceu candicans niuosis
 Olor vadis Caystri.
 Vt perspicace sensit
 Crytallo, inultra monstra
 Errare tot chelydros;
 Repentè curuat arcum,
 Quem flammeâ sagittâ
 Metitur, & minacem
 Lunat trahens in ictum,
 Lentatque. de sonanti
 Mors emicat bipennis
 Neruo, fugitque strictis
 Volans arundo pennis,
 In improbos dracones,
 Siluamque virulentam;
 Incendiumque spargit
 Sparsis vagans capillis.
 Vapor volutus auras
 Infuscat ab nigranti

Nimbo,

Nimbo, rotatque fumos;
 Flagratque silua tortis
 Cirris tenax & hamis,
 Ardens tot inter hydros.

XXVII.

Amoris delicia in lacrymis & comis

MAGDALENÆ.

IAM purus hospes albis
 Amor comis suberrat;
 Siluaque sub natanti
 Puris vagatur undis,
 Seseque Magdalena
 Nunc implicat lacerto,
 Et osculo venusto.
 Et lena Magdalena,
 Sed lena iam pudica,
 Interplicat niuales
 Manus suas Amori,
 Comasque flexuosas.
 Ignes sacros inhalat
 Fax Magdalena Amori,
 Amorque Magdalena.

XXVIII.

MAGDALENA CHRISTVM hortu-
lanum voce non aspectu cognoscit.

HIC insiste gradum, nec longius auehe
 curam:

Nescia quam quæris, stat tibi parata salus.
 Cernis,

Cernis, vti pulchro sol pulchrior alter Eoo,
 Candentes roseo pingit honore genas?
 Cominus occurrit, & adhuc te fallit I E S V S?
 Ecce. quid ah! fletu turbida quæris, Vbi est?
 Quæris, Vbi est? vbi nō tuus ignis oberrat I E S V S?
 Ceu sol irradiat omnibus ille locis.
 Vt quid adhuc pectus nigra mortis obumbrat
 imago?

Corde tuo claudis quem tuus ambit Amor.
 Te propior, propiorque redux aspirat I E S V S:
 Ne dicam radio tangit, & ora ferit.
 Nulla sed hinc cernis tā clarā in luce Magistrum.
 Inuida nox oculos fascinat ergo tuos?
 Quī fit vt immenso fugiat te lumen ab astro?
 Te, reor, occæcat nox mēra mœstus Amor.
 O quis erit radius puro de lumine I E S V,
 Aurea qui lucis semina luce serat?
 En tibi lux radiat; oculos ne pande, sed aures:
 Vt vox appulerit aduena, nosce Deum.
 Christus adest: sua cerne Deum per verba. lo-
 quentem
 Cernis: an ergo dedit vox oculata diem?

X X I X.

MAGDALENA in eremo plorat.

SILVA muta, filua cæca,
 Silua sola, filua casta,
 Silua grata nox pudori,
 Silua dos sacris Napæis,
 Magdalin suos honores,
 Magdalin suos amores

H

Fron-

Frondeâ tegit latebrâ.
 Illa sola filui-cultrix,
 Antra, lustra, saxa, montes,
 Arboreta peruagatur
 Anxiis amica votis:
 Dumque discolore vultu
 Terra ridet, æthra ridet;
 Ludit vnda, ludit ales;
 Vna, ceu graui procellâ
 Icta, flammeo ve telo,
 Inquilina saltuosi
 Orbis, aut caue latebræ,
 Eiulat, gemit, quiritat,
 Incubans nouo dolori,
 Attremens graui timori,
 Ingemens Dei furori,
 Et pium trahens laborem.

X X X.

Amor aureâ sagittâ plorantem MAG-
 DALENAM *inflammât.*

I N T E R hæc Amor supernus,
 Dum sibi virente saltu
 Quæritat feram fugacem,
 Hinnulumque, damulamque,
 Ibicemve, capreamve;
 Magdalin toro recliui
 Deprehendit æstuantem.
 Ilicò graui pharetrâ
 Promit auream sagittam;
 Igneoque spiculo vrens

Cordis

Cordis intimas medullas,
 Pennipes Deus terebrat.
 Corde, cerne, palpanti
 Fax sedet, sedetque arundo
 Igne criniens & auro:
 Costa lucet, ossa lucent
 Criniente de sagittâ;
 Deque luce crispifuscâ
 Lucet athra, silua lucet,
 Lucet vnda, lucet vmbra.

X X X I.

*Dryas miratur subitam è MAGDALE-
 NA ardente flammam in siluis.*

HANC vbi Napæa flammam
 Vidit ardens ab vlmis;
 Adstupet, stupensque clamat:
 Aegra Nympha, tristis hospes,
 Frondeis plagis oberrans;
 Quid meos corusca lucos,
 Ad facem tui perennem,
 Vertis in rogos voraces,
 Vertis in breues fauillas?

Amor ad Napæam.

INQVILINA casta siluæ,
 Mitte, mitte, Nympha mitte
 Anxios metus, & iras.
 Nulla fax opaca regna,
 Flamma nulla, nullus ardor
 Igneâ ruet procellâ,

H 2

Quam

Quam Dryas tremat comata,
 Aut Hamadryas, vel alba
 Nympha fontibus susurrans.
 Hoc virente sub teatro
 Quidquid ardet, emicatve
 Purpurans virente siluâ;
 Id perenne lucet astrum,
 Vt iubar noui diei,
 Vnde lux sit hisce lustris,
 Frondeisque sol tenebris,
 De dolore Magdalenaë,
 Deque amore, deque flammâ,
 Deque sole Numinis.

XXXII.

MAGDALENA *peccati sui monstrum*
vult lacrymis mergi.

ABORTVS ille, quem timetis hospites,
 Nefastus, orbus, asper, æger athiops,
 Flagrante corde Magdalenaë aborriens,
 Serensque monstra tetriora Cerbero,
 Pudorque Cæli, & impium soli probrum,
 Sinu nigrante Magdalenaë vt eruit,
 Simulque fixit acriore lumine
 Amor, venustus ille Numinis decor;
 Ait fuisse partuum nigerrimus,
 Auerna quos echidna fudit, & nigra
 Scelestâ noxa noxiæ puerpera.
 Et ista monstra, monstra dira & impia,
 Alit nigrante lacte fera Magdalis,
 Sibi Megæra facta, & improbus furor,

Procul

Procul faceſſat atra ſtirps Erinnydum,
 Amor ſeuerus inquit, ibo protinus
 Et expiabo crimen hoc ſacro mari:
 Neſaſta monſtra ſpumco obruam vado.
 Vt haſce Nympha lacrymoſa turbidas
 Minas Amoris audiit; ſtetit gemens,
 Et inſit ipſa: Quò procul rapis gradum
 Ad alta ſtagna, ſiue lubricam Thetim?
 Sceleſta ſpectra, quæ meo tuli ſinu,
 Precor ſub hiſce merge, merge lacrymis.
 Vtrumque lumen, hiſce flumen eſt feris,
 Eritque ſemper, haurietque belluas;
 Parens vt ipſa ſic ſuum piet ſcelus,
 Luâtque, quidquid arte peccat improbâ:
 Cadatque ritè quo malè eſt ſatus ſinu
 Sepultus, oppetatque triſtè naufragus
 Pio doloris amne criminum ſator,
 Abortus ille, quem timetis hospites,
 Neſaſtus, orbus, aſper, æger æthiops,
 Flagrante corde Magdalenæ abortiens,
 Serenſque monſtra tetriora Cerbero,
 Pudorque Cæli, & impium ſoli probrum.

XXXIII.

MAGDALENA *lacrymis* CHRISTI
pedes abluit.

I TE pij fontes, via quâ vos vitrea ducit,
 In geminum riuum lumina liquimior;
 Præcipitemque fugam biuios properate per orbes,
 Alterniſque pares ite redite viis:
 Et tandè Solymis I E S V M mihi quærite campis,
H 3. Ni

Ni fors Bethanio federit ille solo.
 Sed quid ego luctus liquidas impello quadrigas?
 Siftite, vel primo puluere meta stetit.
 Hoc Deus ecce toro desidit, & haret Amori
 Obuius: ite sacrâ, quâ iubet ire, viâ.
 Hospite in hoc vno cursus stetit omnis & ardor,
 Tam benè currentes qui sitit vstus aquas.
 Illius agglomerat sese ad vestigia fletus,
 Vis cui par Istro, Niligenôve freto.
 Qualis honos lacrymis! vndâ Oceanitide maior,
 Diluit immensum gutta pusilla Deum.

X X X I V.

MAGDALENA *tota nardus.*

O cur non teneri mei lacerti,
 Pectus, pulmo, iecur, pedes, manusque,
 Et quidquid liquet humidi medullis,
 Aut duri riget ossibus gelatis,
 In nardum viret herbidam, nouamque
 Amoris segetem, sacramque messem,
 Spicasque aureolas, piasque aristas!
 Nardi pistici odora, odora libra
 Vt hinc effluat, influatque puras
 Amoris phialas, cauosque nimbos,
 Siue sint alabastra, siue gemma.
 O cur non mera facta libra nardi
 Magdalena suaueolens amorem
 Dispensat tot in vncias odoras,
 Quot artus gerit, artuumve nexus!
 Et pectus, iecur, ossa, labra, vultum,
 Pedes, brachia, viscera, & lacertos

Parti-

Partitò secat æquus vnciatim
 Bes, dodrans, & amans triens quadrantis,
 Et septunx socio comes deunci!
 Vt sic CHRISTVS, Amor meus, sit heres
 Ex asse ipse mihi, meoque nardo;
 Dum totum seco corpus artuatim
 Libræ in nardiferæ æquilibre pondus.

X X X V.

MAGDALENA cor suum fugituum
 innectit CHRISTI pedibus.

CERNE, leui pennâ cor emicat ales, & anceps
 Scindit iter: passis retia tende comis.
 Ni facis, actutum volucres vanescit in auras:
 Stare loco nescit mobilis ales Amor.
 Cinge torum, latâque comas indagine passim
 Sparge: fugit rapido cor pede; nocte moras.
 Quâ vagus exsul abit, vestigia quærit IESV;
 Hic sedet, hic vitæ mustea philtro sitit.
 Si sapis, ô felix! tali iam docta Magistro,
 Quâ semel arte tenes, vsque prehende Deum.
 Prouida cor profugum strictis intexe capillis:
 Si nescis, Domini stat pede fida quies.
 Eia, comis laqueisque comantibus indue prædam;
 Et iusto spolio te tibi reddet Amor.
 Si coma captiuum cor ceu custode catenâ
 Detinet, ac CHRISTI iam pede stare iubet;
 An volet, aut poterit tam blandâ compede vinctû
 Cor procul his plantis exsul inire fugam?

MAGDALENA *din errabunda*
CHRISTO *adheret.*

ANGVIPES mundi labyrinthus errat
 Auio flexu, sinuanſque curuos
 Tramites, fallit nimum dolofus
 Magdalin error.

Spineis hamis tenet, ac tenebit,
 Ni viam puro radio ferenes
 CHRISTE ſol ardens, & adunca leti
 Vincla retexas.

Auribus duris pluuias querelas
 Abdicas? non ſic abit hic inanem
 Imber in ventum: radians benigno
 Annuiſ aſtro.

Aureo lenis oculo gementem
 Magdalin, ſtella iubar irretorto
 Emicans vultu, gemit illa grato
 Saucia telos;

Et ſimul plantas niueas comanti
 Implicat vinclo, lacrymiſque rorat:
 Intepet lymphæ calidæ niuofum
 Gluten Amoris.

Sic Amor fraudem geminans, liquenti
 Illigat viſco Dominum, tenaciſque
 Illigat cirro laqueo, dolofi
 Aucupis inſtar.

Et ſimul ſentâ pedicâ reuinctam
 Magdalin, mundi malè pertinaci
 Expedit curâ: fugit illa cæcis
 Libera ſeptis.

Et

Et fugam sistit niueos I E S V
 Ad pedes : isthic stat Amoris ara,
 Quam manu prensans tenet, implicatque
 Vineta capillis.

X X X V I I.

*Pars frontis MAGDALENÆ tacta à
 CHRISTO integra perdurat.*

TANGIT eburnam
 Dexteram frontem;
 Tangit & aureos
 Dextra capillos.
 Macte beato
 Magdala tactu !
 Quando caducâ
 Morte recumbes,
 Mersa sepulcro,
 Mersa fauillâ;
 Haut tamen atris
 Oppetet umbris
 Frons ab amico
 Sospita tactu.
 Quidquid I E S V
 Dexteram tangit,
 Ducet ab illâ
 Mortis & Orci
 Immemor æuum.

H 5

Elo-

XXXVIII.

Eloquentes lacryme.

MAGDALIS vrbanos tot quondam docta
lepores,

Cur, quasi tota fores rustica nympha, stupes?
Nil nisi de tacito distillas lumine luctum.

Crede mihi, id muto murmure velle loqui est.
Argutâ cor ecce latet loquiturque sub vndâ,

Perpicioque patet cordis imago vitros;
Defenditque reos, & scribit aquante liturâ.

Scilicet in lacrymis vitrea suada natat.
Et sua vox oculo est; quidquid rogat, ilicò victor
Impetrat, humenti qui fluit ore dolor.

Quàm sapit vrbana sale lacryma tineta suadam,
Quando ita persuadet, vox vbi vineta file!

XXXIX.

*Alabastrum MAGDALENÆ in astrum
vertitur, & craterem.*

IAM tandem mea Magdala,
Iam fat cinnama prodiga,

Ac spicas, & olens amomum,
In Christi caput aureum

Fudit pyxis odora.

Nimbus Magdaleum, suâ

Cum nardo bene-olente,

Nunc astris Amor inseret,

Qui tot prompsit odores.

Si quæras, tua nardina,

Scellan-

Stellantemque alabastrum
 Quæ Cæli capiat plaga?
 Quæ fuluo micat auro
 Crater fidereâ domo,
 Hic flauens alabaster
 Fulget Cælite templo.

X L.

Feneratur suâ nardo maiorem gratiam

MAGDALENA.

PRODIGIS eximios fecundâ pyxide census,
 Et tantas animo diuite vincis opes.
 Tam raris equidem malim te parcere donis;
 Sera sedet largo post Metanœa penu.
 Quidquid Arabs, Indusve legit, Tmolive co-
 lonus,
 Impluit in bibulos prodiga dextra pedes.
 Ut quid adhuc demēs nimbo vomis vberē nardū?
 Parcior ô frugi prouida conde manu.
 Quam sic vrit Amor, (mors illa suaui amanti)
 Serò tuo hæc serua dona suprema rogo.
 Ritè tuo, mihi crede, fluent opobalsama busto;
 Exsequiis myrrhæ dos erit apta tuis.
 Dona sino vt promas, modò te ne prodiga fallas;
 Pauper vt his egeas, quas malè spargis opes.
 Nónne deurit Amor flagranti pectora thyrsò,
 Iam tibi & in cineres ossa deusta cadunt?
 Quòd si sicca tuæ nardum sitit vrna fauillæ,
 Et tua conuiuans nardina CHRISTVS amat;
 Hæc cui transcribes? CHRISTO? an tibi? poscit
 vtrumque

H 6

Munus

Munus vterque sibi: neutri, an vtriq; voues?
 Quid suadus iubet auctor Amor, quid præses
 honesti

Purpureus docto consulit ore pudor?
 Diuite, ait, CHRISTI caput implue & imbue
 nardo,

Reddet amans votis balsama plura tuis.
 Vberiore manu quidquid capit, auget IESVS:
 Et dare te credis munera? fenus emis.

X L I.

MAGDALENA *oscula figit pedibus*
 CHRISTI.

LAMBIS, & appressio figis vestigia vultu,
 Molli relambens osculo;
 Incumbisque super. quid monstri hinc cernit
 superbum

Plantis in imis stat caput.
 An male-sanus Amor præpropter cuncta volutat,
 Sursum & deorsum vt misceat?
 An magis ille globum pro Magdali versat in orbem,
 Qui summa vertit infimis?

X L I I.

Amor navigationem parat in MAGDA-
 LENAÆ *lacrymis.*

QVA lacrymosa salsos
 Dat Magdalis fluores,
 Et se salo doloris
 Mergit, salumque fundit

De

De lacrymis, & vndat
Torum pedesque IESVS;
Hic fortè ludibundus
Amor natans volucris
Littus gradu pererrat.
Miratur ille fluctus,
Miratur ille ludos
Aestus reciprocantis;
Fugit, reditque fluxus.
Instat puer, fugitque;
Et ipse par marinæ
Vndæ, pari recurso
Aestus redit vicissim;
Et mox fugit puellum.
Tandem puer perenni
Victus labore, victus
Maris sequace fluctu,
Nec non fugace cursu,
Iter natans adornat.
An ergo iam secundâ
Ani, leuique vento
Remex Amor biremis,
Salsuginosa regna
Sulcat vagâ sub alno?
Heu dens biceps, gubernans,
Contus, rudens, remulcus,
Pes, flexipesque remus,
Volaticumque linum,
Nudo deest Amori.
Fabrâ sed arte solers,
Et Dædalo paratu,
Ratem maris colonam,

H 7

Pe-

Pedem, leuesque remos,
 Volatilemque nubem,
 Velo parat fugaci;
 Suaque de pharetrâ,
 Non iam graui pharetrâ,
 Sibi domum marinam
 Natatilemque cymbam
 Molitur architectus,
 Faberrimus fabrorum.

X L I I I.

Armamenta sua cymba adstruit.

SED vndenam supellex,
 Et arma quæ vaganti
 Amor parens carinæ
 Securus adlaboret?
 Pro carbaso bipennes
 Dispescit ales alas;
 Dein aptat in bisulco
 Remos, & hinc & istinc
 Pêdes mari volantes;
 Et surrigens sagittam,
 De spiculo superbum
 Malum struit per auras;
 Tandem laborioso
 Clauo viam fugacem
 Dux dexter adgubernat.
 Sed ecqua fluctuosæ
 Merx innatat quadrigæ?
 Molli recumbit ostro,
 Et fluctuat cor ardens,

Cor

Cor anxium, cor vdum,
 Cor aureum, cor ingens;
 Cor æmulum pyropo,
 Cor digna dos Olympo.
 Sed quò viator ardens,
 Cor deuijs in vndis,
 Amorque cordis obses,
 Præs, institor, patronus,
 Custos sagax, & heres,
 Nunc abnarat, fugitque
 Inhospitum per orbem?
 An gemmeis arenis
 Taprobanes, vel Indi
 Peruuioque cælo,
 Et aureis fluentis,
 Appellit ille clauum?
 Sapit, sapit: niuosos
 Quærit pedes I E S V,
 Argenteumque pignus.
 Huc ecce vector ales
 Plumosa vela pernix
 Aduertit, irretorto
 Cursum regens ocello,
 Stans ad pedes I E S V.
 Hic ancorâ tenaci
 Frenat vagam carinam,
 Et acquiescit isti
 Toro sinuque I E S V,
 Seu portui quieto.

Amor

X L I V.

Amor vendit CHRISTO COR
MAGDALENÆ.

AMOR suum pyropum,
Ardensque cordis aurum
Exponit, & flagrantes
Venumat en medullas,
Seque, & suos sodales,
Ipsamque Magdalenam.
Quis emturit tot isthic
Opes, opumque fontem,
Viator an requiris?
Sibi Deus licetur,
Emitque Magdalenam.

Palinodia.

VAH vt miser deerro!
Vitæ suæ parenti
Amor, memor salutis,
Munus suum reponit,
Redditque cor inemtum,
Dotale pignus astris,
Cor Magdalænæ IESV;
Vt inferat coronæ
Aut annulo fideli,
Amoris in pyropum,
Amoris in sigillum,
Amoris in tropæum.

Libe-

X L V.

Liberalitas obuia MAGDALENÆ odorum cornu-copia effundit.

QVAEREBAT liquidum Magdala cinnamum,
Halantes lacrymas turis, & Indicas
Melles, Isacio non sine balsamo,
Et ditis filiæ comas.

Occurrit gremio diuite Largitas,
Fundens nardiferâ balsama dexterâ,
Et lætis spolijs vberis Indiæ
Miscens Assyrias opes.

Hic ab Taprobane cinnameus liquor,
Hic ab Cochinio littore munera,
Hic Bandæ exuuiæ, myrrhaque lacrymans,
Et ver Arabias olens.

Candet gemmiferis auribus vnio,
Stellat chrysolithis annulus aureis,
Mentitur proprium ver stola discolor,
Autumniq̄ue rubens decus.

Et cornu locuples pubere Copia
Hinc læuam inde pari pignore dexteram
Stipat; munifico vt poma vomat sinu,
Spicis obsita nardinis.

Istinc balsameus riuus, & Indicus
Succus, cum Cilicum frugibus influit
Nimbus Magdaleum; messibus aureis
Nimbus turgēt odorifer.

Fama

X L V I.

*Fama effusam à M A G D A L E N A
nardum colligit.*

V T tum fors thalami limine florido
Stabat Fama sacri nuntia nardini,
I E S V M sollicito lumine metiens
In costo, cassâ, & croco;
Hinc illinc manibus sublegit obuiis,
Et pando gremio condit, amabiles
Passim reliquias Magdaleâ manu
Sparfas marmoreo solo.
Et nardi liquidis implet odoribus
Ieiunum lituum, quo tuba perfonans
Messis Magdaleas orbis in vltima
Spargat cinnameo tubo.

X L V I I.

Coma M A G D A L E N A E fit astrum.

E VERRIS madido cincinno sedula lymphas,
Vnde Dei in castos balnea fusa pedes.
Obsequium felix! prô dedecus! ibit in urnam
Puluerem hæc sindon, & coma digna Deo?
Quis sonor, incertû; sonor attamen appulit aures;
Vox sonat ab dextrâ: Iam coma sidus erit.
Si Berenicæo dedit astra marita capillo,
Dum parit incestum crimen adulter hymen;
Sidereum his cirris æther cur abnuat aurum,
Quæ Domini argenteos implicuere pedes?
Hic vbi fulua micant stellante monilia Cælo,
Nobile

Nobile caesaries aurea pignus erit.
 Quo vis indigitem titulo Caelive figurâ
 Magdaleum sidus, humidulasque comas?
 Si radio imbrifero coma quos bibit, exprimit
 imbres;
 Credo piis lacrymis nubila Pleias erit.

XLVIII.

Crines MAGDALENÆ, casses
 CHRISTO.

DEDIGNANS humili reptâtes agmine prædas,
 Siue solo currant, siue vagentur aquis;
 Aucupe freta dolo meditaris in aëre fraudes,
 Pennatisque moues ardua bella feris.
 Egregium quò cura trahit generosa laborem,
 Incipe pennigero tendere lina gregi.
 Sed quid ego in Superos vacuas procul eueho
 curas?
 Terra tibi Cælum; est hîc tua præda Deus.
 En spes ille tuæ sedet opportuna rapinæ
 Hic, vbi Sidonio lucet honore torus.
 Intendis laqueos & fila dolosa Tonanti,
 Irretisque trahens in tua vincla Deum;
 Vincla sed illa, teres nisi fors pilus, instar A-
 rachnes.
 Tam fragili teneat cõpede Numen Amor?
 Tam fragili tener ille sedēs in compede Numen:
 Et quid ni teneant aurea fila Deum?
 Hic quid opus crassusve rudens, seu firma catena,
 Vnde Deum capiat, si velit vltro capi?

MAGDA-

X L I X.

MAGDALENÆ amor & timor ex aspe-
ctu CHRISTI Sponsi & Iudicis.

TE spectem, mea lux, decusque IESU?
Seu vultu pius annuas sereno,
Seu vultu grauis abnuas seuro,
Me lux blanda rapit serenitatis,
Et fax turbat atrox seueritatis:
Peræquè miser hinc & hinc reuincto
Angor me pede distinet, trahitque
Alternis dolor impotens catenis.
Me si fidere respicis benigno,
Cor hoc torret amor, cremat medullas.
Sin me lumine fulminas minaci,
Me torquet timor anxius pericli.
Heu! me dat geminis perire damnis,
Tranquillumque iubar, minansque fulgur.
Me si perdit amor, furorque perdit,
Quæ spes vlla meæ super saluti,
Quam necat glacies, necant & ignes?
Ah! permistus amor timore, mors est.
O duram nimium necessitatem!
O sæuum nimis ô nimis fauorem!
O sæuum nimis ô nimis furorem!

L.

MAGDALENA *in clesydram*
se verti vouet.

SI forte alterutrâ sit, aut utrâque,
Aut leto dubio immori necesse,

Mors

Mors vt fræna doloribus reponat,
 Aut vitæ decus vt nouæ regignat;
 Vrat, vrat Amor fibras & artus.
 Me si verterit in breues fauillas,
 Mox siccos cineres Amor gemellæ
 Includet phialæ, mei que I E S V
 Alternam sibi clepsydræ refinget:
 Quò sic ille mei faces Amoris,
 Scintillas, cineres, piæque flammæ
 Alternam numeret redux in horam.
 Sic soles mihi postumos reduces,
 Soles puluereo orbe metiendos,
 Si vultu pius annuas sereno.

L I.

MAGDALENA *Misericordiam & Iu-*
sticiam in gemino CHRISTI pede
complexa.

Bis geminâ constringe manu pia Magdala
 CHRISTVM;

Nam pius & gemino te pede CHRISTVS adit.
 Nec tantû alterutrû, sed vtrumq; tenace catenâ,
 Et dextrâ & læuâ prouida prede pedem.
 Iustitia hinc vindex, illinc Clementia pacis
 Arbitra, par concors, & soror æqua sedet.
 Quas dispar genius secat impare Numinis v su;
 Hæc iubet, illa verat abstinuiffe manum.
 Quam sequeris? iustâ terret te fulmen ab irâ?
 An potius pacis mitis oliua trahit?
 Spemque, metumque, pari geminus pes tem-
 perat arte;

Gratia

Gratia ne nimum tollat, & ira premat.
 Læuus vti pes it læui lanx sæua furoris,
 Sic pia lanx pæcis pes tibi dexter erit,
 Et læuam & dextram bis in oscula diuide malam;
 Ac læuo & dextro necte, renecte pedi.
 Sic iubeo: geminis alternas oscula plantis,
 Alternâque pedes tergis vtrimque comâ.
 O tibi quàm felix dextrâ fors voluitur vrnâ!
 Cui datur, his plantis, spêque metûque frui.
 Nō timor hîc ex spes, nec spes nimis ægra timore
 Claudicat, incertis alterutrimque modis.

L I I.

*Pedes CHRISTI MAGDALE-
 NAE oblati.*

DEXTRO & sinistro Numinis sedet pede
 Hinc ira, & inde pacis obses gratia,
 Quas æquo vtrimque scindit examen gradu:
 Et æquilibri dexteram abstines pede?
 Hinc pondus iræ, pondus inde gratiæ,
 Dextrâ, sinistrâ, prouida appendis manu;
 Dei que tractas arbitros rerum pedes.
 Diuinæ, opinor, facta libræ es libripens.

L I I I.

**CHRISTVS inter duos agros, MAG-
 DALENAM & SIMONEM.**

BIS geminos inter Medicus sedet inclytus
 agros,
 Hinc febris acris edit, inde phrenesis agit.
 Febris

Febris anhelat opem, rabido furit ore phrenesis,
 Quà Dominum cingunt æger & ægra latus.
 Ille furens admordet, amans hæc mulcet IESVM:
 Hæc medicum portat munus, & ille probrum.
 Nil tamen vnca moror crispæ conuitia nasi,
 Quæque Lycambeo vulnera dente tument.
 Scriba fero morsu si vulnerat asper IESVM;
 Prouida Diua crocum, quo medeatur, habet.

L I V.

Medicina è nardo & tactu pedum.

SVRGIT Erythræis lux ô signanda lapillis,
 Quæ grauis euerrat nubila dira necis.
 Fortè nigras venas si pestifer exedit ardor,
 Qualis Auernali de face flamma flagrat;
 Iam tibi funesto leti diu puluere squallens
 Sol comet radio nobiliore caput.
 Tu, cui dira putres violant contagia venas,
 Tange Deum: tacto Numine vita fluet.
 Balsameis succis, semperque recentibus herbis,
 Iesseidæ floris succida planta viret.
 Sicca Syra si dat pedis vmbra, vel aura salutem;
 Isacidi an medicam pes neget vnctus opem?

L V.

MAGDALENA sub Cruce acu pingit.

MAEONIS vt virgo vario de flore colorum
 Picta sub obliquâ vela figurat acu:
 Magdala sic tristi dum sub trabe sidit in vmbra,
 Lugubre sanguineæ mortis adumbrat opus.
 Detra-

Detrahit illa peplum, stillantē sanguine peplum,
 Detractumque cauā pandit vtrisque manu.
 Iamque; crucem textit manus æmula mima doloris.
 Pro radio, telam spina cruenta notat:
 Quæ dum purpureo rubet ac madet ebria succo,
 Sanguine quo pingit, sindona pungit acus.
 Sic docili lino lacrymans intexit I E S U M
 Magdalis, vt mortis textile viuat opus.
 Quæ quoties oculi radio pepla tristia signat,
 Gemmatis toties flens ea pingit aquis.

L V I.

*Imago MAGDALENÆ sub Cruce
 lacrymantis.*

IMAGINOSVS artifex
 Amor, dolentem Magdalin.
 In fontis vndas verterat;
 Sed ars Apellis Dædalo
 E fonte reddit Magdalin.
 Vberrimis iam lacrymis
 Manat quadrâ sub arbore.
 Vah quàm deerro ab ianuâ,
 Totoque cælo deuius!
 Dum sic cruentum stipitem
 Tot lacrymosis riuulis
 Mœror perennans imbuit;
 Heu rurſus vndâ pristinâ
 Est quod fuit, fons Magdalis.

MAGDA-

Illum & Berhanidum conscia saxa gemunt.
 Crudeles nimum (si fas sit dicere) Diui!
 Cur tantum, ah! terris inuidet æthra decus?
 Ver abiit cum flore, breues fluxere corollæ;
 Pro violâ en mœstis sparsa fauilla comis.
 Non tenerâ byssum lapis asperat Indus, & aurû:
 Sed sedet in furuo nubila vita peplo.
 Stat cultu sine cultus inops, sine luce vel ostro;
 Bærica natiuo lana colore gemit.
 O quoties madidis solemnia vota tabellis
 Suscipis! & ventis murmur inane voues!
 O quoties surdo numeras suspiria busto!
 O quoties muto puluere muta sedes!
 Quis numeret, quoties respectas cæca sepulchrum,
 Delusis quoties ægra doles oculis?
 Visa frui, quoties vanas amplecteris auras,
 Tristis vbi somnus fratris imago redit?
 Nec credit. ah quantû scelus est mors ausa! dolori
 Vsq; tuo vt viuat frater, vbique perit:
 Carnificesq; animat crudo sub pectore flammæ,
 Insolabiliter queis flagrat æger Amor.
 Ibit inusta pari nunc & soror ipsa cupressu,
 Fratris in inferias victima prompta mori?
 Te, cui mors parcat, rapit ergo tyrannis Amoris?
 Quod genus hoc pietas? fit graue crimẽ Amor.

L V I I I.

Lamentum M A G D A L E N A E *dum*
 C H R I S T V S *sepulchro conditur.*

M I E S V, diu fida meæ tutela salutis,
 E gremio præceptis laberis in tumultum
 Deli-

Delicias nunc ergo meas, & pignora vitæ,
 Eripit amplexu mors scelerata meo?
 Quo rapit, ah! IESVM, rapit & mea viscera saxo,
 Et mea cum IESV corpore corda tenet;
 Includitque pari me mors æquæua sepulcro:
 Sic equidem voueo, sed vetat asper Amor.
 Ah raptum decus! ah igitur mea gaudia rupes,
 Et premit affectus luida petra meos?
 Bruta filex seruat, nec habet sua Magdala IESVM!
 Magdalis an saxo durior ergo filex?

L I X.

MAGDALENA ab CHRISTO
*absente tenebras, à præsentem lucem
 accipit.*

QVOD super, & quod fas fuerit, dabo vota
 sepulcro;
 Et sacro cineri dona suprema feram.
 O nimium felix marmor! domus hospita leto,
 Quæ claudis grauido marmore feta Deum!
 Delicias cape læta meas, cape pignus Amoris;
 Nobile depositum, quod tuearis, habes.
 Orbita dum refugis teritur Phœbea quadrigis,
 Et mea cum Phœbo spes redeunte redit:
 Hæc inter Domini, sine luce, sine igne vel aurâ
 Aetheriâ, ad tumulum Magdalis orba gemet.
 Aspicias hanc serâ quæ noctis oberrat in vmbra;
 Ah animi speculum conscia Luna mei est.
 Obuia Phœbeos Phœbe si concipit ignes,
 Oppositoque bibit fratris ab ore iubar;
 Cynthia fraternis ardet foror æmula flammis,

Mentiturque notho Sole superba diem:
 At simul inde cauos auerterit auia vultus,
 Umbra nigrans omni lumine cassa filet.
 Sic ego fidereum quem nox premit inuida vultū,
 Liquero; lucis inops, mortis vt umbra, querar:
 Ast vbi vicino tangam mox lumine Numen,
 Tota micans isto fidere fidus ero.
 Dat mihi mors CHRISTI, nox vt sim nubila
 luctu;
 Vt sim Luna redux, mox noua vita dabit.

L X.

Libripens Amor de vitâ aut morte M A G D A L E N A E ad sepulcrum.

ASPICE, luctificum quæ prospicit agræ
 pulcrum,
 Vt gemit, & passas tendit ad astra manus:
 Vt vox torpet iners, vt hiant suspiria anhelâ
 Hauſta animâ, vt mœſtus ſerpit in ora color:
 Vt ſtat ceu rupes, vt pallet tota vel ipſo
 Marmore frigidior, Biſtoniâque niue.
 Quæ rerû hæc facies? mors hîc, an vita ſuperſteſt
 Corpore Magdaleo Magdalis omnis abeſt.
 Cor ſi ſpecto, flagrat, vis viuida flammat Amoris:
 Sin corpus, gelido pallet in ore dolor,
 Altera pars vitæ, pars altera mortis imago eſt.
 Sic ſibi par diſcors Magdala tota perit.
 O ſortem ſine ſorte! pari diſcrimine fati
 Mors hîc alget hiems, & calet æſtus Amor.
 Anxia dic vtri cedit iam Magdala parti?
 Tota ſtet alterutri? tota an vtrique cadat?

Par

Par utrimque pari dirimit ius pondere lances :
 Quod dat huic, illi non negat æqua bilanx.
 Libra necem vitamque pari stans pondere fallit;
 Et quod utrique dedit, ius id utrique negat.
 Nonne necē fraudat corpus, quod triste cadaver;
 Viua tamen cordis cui modò flamma micat?
 Nonne suo & viduam fraudat cor munere vitam,
 Cui sua vita merum non nisi funus alit ?
 Quòd si mortis hiems corpus, cur ardet amore
 Cor veges, & medio funere flamma micat?
 Sin cor ardet amans, & Sirius incoquit æstus,
 Cur hiemant pigro cetera membra gelu?
 Ut sensit dubio pugnantes pectore curas;
 Pax, pax, inquit Amor: fors rara cuique manet.
 Pars si viua viget, nigra cur cadat hostia morti?
 Sin pars hïc mera mors, cur ea vita foret?
 Mittite pugnaces discordi examine lances;
 Vtraque lanx pondus datque negatque suum.
 Libra sed alterutri parti cum fluctuat anceps;
 Singula quæ non dat, Vis mihi cuncta dedit.
 Si corpus gelat, ille meo cinis ortus ab igne est:
 Sin cor flagrat amans, fax facis ista meæ est.

L X I.

Vox in lacrymis.

MAGDALIN effreni ut delusit fanna cauillo;
 In lacrymas, oris nobile soluit ebur:
 Cui Pudor arridens, & Amor comes ipse Pudori:
 Et tibi sunt voces hïc, ubi flendo files ?
 Mitte precor gemitus, mea Magdala, mitte
 dolores,

I. 3

Quos

Quos acuit mœstis turbida cura modis.
 Crede mihi, plures gena dictat aquosa querelas,
 Quàm queat innumero murmure lingua
 queri.

Mutus enim loquitur vocis cum pondere fletus,
 Vocaleſque ſonant lumina muta preces.
 Si cordis pia lingua, fluit lacrymoſus ocellus;
 An malè vox cordis lacryma triftis erit?

L X I I.

MAGDALENA peccata ſuis unguen-
 tis & fletibus expiat.

Q V I D tibi vis mulier trepidis obnoxia votis,
 Frigida ſollicitus cui quatit offa pauor?
 Mitte minas, crudâque metum de Numinis irâ:

Pax mergit lacrymis, quas tonat ira faces.
 Nardus odorato quem lenit & ungit oliuo,
 Unguine de medico cur neget Vnctus opem?
 Crede mihi, Stygiâ quas de pice flammat E-
 rynnîs,

Mitta tuæ nardo vincet oliua faces.
 Quid tibi non voueat de cœlite *Xeis* oliuo,
 Vnde fluet flammis altera flamma tuis?
 Si qua caput fuſcant veteris veſtigia flammæ,
 Sidereo delet igne vel imbre dolor.
 Cincinni, lacrymæ, crocus, oſcula, nardus, a-
 momum,
 Quas non expugnent ad ſua philtrea minas?

MAGDA-

L X I I I.

MAGDALENA *monstrum mutatur*
in Dianam pulcherrimam.

VT septena nocens Lernæi cornua monstri
Monstrifero speculo vidit, & erubuit
Magdalis, (ah miseram!) tot inhorruit ilicet
hydri,

Prompta mori, nisi spes alma secundet opem.
Protinus accurrit lacrymosa doloris ad vndas,
Balnea quò puro flumine pura bibat.

Funestâ quam sorte premit ius mortis & Orci,
Eripiet Stygio mox pia lympha lacu.

Illa potis calido fera monstra deurere fletu,
Illa potis blandis vincere Numen aquis.

Illa vouet faciles non duro in Numine vultus,
Illa nouum casto spondet ab imbre decus.

Quàm trahit intus amans arcano sidere **I E S V S,**
Tam foris humano suscipit vltro sinu,

Inuitatque ream: nec fecit illa benignum
Influit in gremium, Numine iussa frui.

Quàm flagrat intus Amor vis imperiosa pudoris,
Tam foris os pingit purpura casta pudor.

Cui citimo radio simul ac caput icit **I E S V S,**
Frons modò silua feris, iam rosa viua rubet.

Vndique, cerne, comis fluxere virentibus hydri;
Quaque fluunt hydri, crimina fœda cadunt.

Terror abit, rugaque graues, seniumque doloris,
Et frontem nitido pumicat ore Charis.

Candida cygneis obnubit tempora vittis,
Qui sedet ingenuo pectore virgo Pudor.

Sic aliam ex aliâ iam Magdalin ambit IESVS;
E Strygio monstro, sponfa fit apta Deo.

X L I V.

Pia fraus Amoris.

NYMPHA verecundis gena cui micat illita
guttis,
Quæque bipertito diluis amne pedes;
Falleris, & nescis. nec falleris. alba gemello
Te dare fonte putas balnea? flendo capis:
Teque lauas lacrymis, (an & hæ quoque fallere
doctæ?)
Quin etiam lymphas imbibis ipsa tuas.
Oscula nam riguis vbi figis hiantia plantis,
Crinis & ora bibunt quas gena fundit aquas.
Cerue, tuas rigat vnda genas prius illita plantis:
Sic redit ad fontem riuus vterque suum.

Pœnitentia exscindit vlcus Conscientiæ.

Quo te pennigeris super euehis astra qua-
drigis?
Siste, precor, volucres ad tua frena rotas.
Siste, precor, seu tela placent, seu termes oliuæ:
Magdalis alternâ præmia forte leget.
Vfus erit telis, pacalibus vsus oliuis:
Magdalis iccta gemit, & noua sæcla trahet.
Hinc Amor, inde dolor, concors stat cura me-
delæ:
Hic ferrum, medicas suggerit alter aquas.
Vindice sub ferro crudum dolor exsecat vlcus,
Sed medico succo Magdalin yngit Amor. Sic.

Sic vrente manu qui plectit acerbus, & idem
 Parcit amans dulci mistus amore dolor.
 Quàm dolor vrit atrox ferro qui sæuit & igni,
 Tam lenit liquido rore suavis Amor.

L X V.

*Epulum spirituale CHRISTVS
 MAGDALENÆ adornat.*

AD cœnam noua cœna venit, noua gaudia
 manant;

Dispare sed missu, par vbi mensa sedet.

Hic epulum Simon, epulum struit ipse I E S V S:

Iste suum nectar promit, at ille merum.

Plumbeus ille magis plumbo, hic magis aureus
 auro est:

Hic trahit, ille fugat: gaudet hic, ille fremit;

Meque super rodens, mordaci dente laceffit,

Nectareasque nigro felle venenat opes.

Et licet inuidiæ fera ructet Echidna venenum,

Mustea de puro nectare pocla sequar.

Cælite me musto, dape cælite pascit I E S V S

Pectus, & ora natant hausta tot illecebris.

L X V I.

Dulcedo è lacrymis.

In lyra quondam malè gaudia, & omina
 luctus:

Ite ioci, vitæ seria damna meæ.

Ite leues curæ volucris de pulueris vmbra:

Ite stolæ probri conscia vela mei.

I s

Ite

Ite graues torques, seruo modò vincula collo:
 Ite rosæ, leto spinea silua meo.
 Denique quotquot opes vitreo dat mundus a-
 ceruo,
 Ite, mei fontes & seges atra mali.
 Ab Domini pede læta bibo, simul erogo fletum:
 Deque piis lacrymis ebria pocla lego.
 Mœror enim quasi lætitiæ sator vberè botro,
 Cùm biberit lacrymas, mustea pocla vouet,
 Vndat inexhausto vindemia macta Lyæo,
 Hoc de fonte sator si bibat hospes Amor.

L X V I I.

MAGDALENA *animo linquitur*
 CHRISTI *tractans vulnera.*

PERTENTAT trepidante manu, digitosque
 retractat
 Anxia, & in crudo vulnere læsa tremit.
 Nunc labra, nunc pectus, fractos nunc luminis
 orbes,
 Nunc mulcent laceros oscula blanda pedes.
 Ora, genas, oculosque, latusque, necisque; cauernas,
 Abruptosque pedes, diuiduasque manus,
 Rursus hians legit animâ, & rimatur auaris
 Rursus hians oculis; rursus & ægra gemit.
 Rursus & includunt suspiria muta querelas,
 Singultimque fecat murmur inane dolor.
 Iamque adeò viuum CHRISTO sit tota sepulcrum
 Magdala, Magdaleo viuat vt ille sinu:
 Cumque Dei de morte nouam det vulnera mortè,
 Ipsa suo CHRISTVM corde dat vsque mori.
 MAGDA-

L X V I I I.

MAGDALENA *salutem è nardo
reperit.*

TE fera febris edit tacitas depasta medullas,
Sanguine defecto vita cadaver olet;
Vlceraque aspra tument obscœni conscia tibi:
Verminat impuro pure situque sinus.
Quære quod halat Arabs fors silua, vel afflat
odoro

Indus onyx folio: nardina spica placet.
Ecce, caput nardo roras bene-olentis **I E S V**:
Ambrosijs diues stillat aroma comis.
Quò medeare tuis ardens & faucia plagis,
Nunc tua queis vnxti, nardina **CHRISTVS**
habet;
Inque vicem dio te nunc rigat vnctus oliuo:
Quas plus ægra, capis sana salutis opes.

L X I X.

Momi conuictum.

QUID QUID id est, animum fœdis quod
prægrauat ausis,
Hoc infans tenero sustinet ore pudor.
Et sua probra palàm casto frons publicat ostro,
Quæ clàm cor tacito celat operta sinu.
Hinc tenebras & vela suo frons nuda rubori
Quærit, & obscœnum vult tegat vmbra caput.
Nunc igitur tibi si qua sacri sit cura pudoris,
Casta verecundis flammea quære genis.

I 6

Sed

Sed tibi purpureã frons abdicat improba nubem,
 Nec nisi fœda leues spargis in ora comas.
 Quale nefas! nudi probra quò piet ista pudoris,
 Nunc opus hîc alius qui tegat ora pudor.

L X X.

Modestia respondet Momo.

MOMOVS an in læuam ridendas despuit iras
 Crudus, & atra nigro cum sale probra
 vomit?

Despue inurbani fera iurgia & orgia Momi:
 Nolo tuas abdat textilis vmbra genas.
 Si frontem sine fronte pudor tibi perfricat orbis
 Sindone; sic nudam dedecuisse decet.
 Qui sua sic nudat inuesti crimina vultu,
 Nec scelus erubuit; crimine liber abit.
 Nec benè quis soluit, quẽ debet noxa, pudorem,
 Anxia ni soluat frena pudoris Amor.

L X X I.

MAGDALENA *animo linquitur*
CHRI^STI *explorans vulnera.*

ARCANAS tacito suspendens ore querelas
 Magdalis aspectat lugubre mortis opus:
 Exceptumque sinu frigentem lustrat IESVM;
 Rimaturque oculis, vulnera quanta secant.
 Osculaque effusis dat & eripit vda labellis:
 Rursus hians oculis vlcera mille legit.
 O quoties libuit votis accersere mortem,
 Vt toties vidit membra cruenta mori!

Præ

Pænè graues leti sopor opprimit improbus artus:
 Sed propè labentem sustinet acer Amor;
 Inque pedes animo linquentem surrigit. eheu!
 Lapfa, relapfa labat pectore semianimi;
 Aspergitque (calix vt tum propè stabat) aceto,
 Cui nondum cruciæ fella remista necis.
 Tum demum sua mens rediit, rapidusque cu-
 currit
 Ima per ossa calor, serpsit in ora color;
 Abruptaſque gemens geminat, geminatque que-
 relas,
 Inferiaſque parat officioſa Deo.
 Antè tamen mortis ſcrutatur obitque latebras,
 Diues vt inde ſuas eruat augur opes:
 Exploratque, ſibi vitæ quod ſpondeat omen,
 Qui ſagrat in gelido funere viuus Amor.

L X X I I.

Lacrymis iram Numinis placat

MAGDALENA.

OBVIA quid ſpectas ardentem Magdala
IESVM?

Tunc pati tantam parua fauilla facem?
 Hinc iubar an ſperas? nimboſum ſidus ab iſto
 Sole tonat; flammas ſed ſine nube tonat:
 Inflamatque minas: nec enim ſedet vlla To-
 nanti
 Cura prior, iuſtas quàm properare faces;
 Vindicibusque rogis atras exurere noxas:
 Et piceum obiectas noxia tota caput?
 Mille rubet circum flammæ, flammantque tribunal
 I. 7 Igni-

Igniuomum: & spectas bis rea facta Deum?
 Hoc oculo (nescis?) ferali luce cometes
 Fulgurat, vnde necis conscia signa flagrant.
 O miseram! quæ cura tuæ nunc prima salutis,
 Quæve secunda? tuæ num data porta fugæ?
 In quascumque voles caput anxia conde la-
 tebras;

Deprensa in medio crimine semper eris.
 Quid facies? sæuis tot Vindicis ignibus, cheu!
 Vrimur. Ultorem vicimus, inquit Amor.
 Vicisti lacrymis placabile fulmen I E S V:
 Quod modò triste iubar, lampas Amoris erit.

L X X I I I.

CHRISTVS *spiritali nardo vngit*
 MAGDALENAM.

Quò tibi flos myrrhæ? quò nardus amica
 corollis,
 Quò tibi munificâ balsama fusa manu?
 Quò tibi ros oleæ, pingui qui nubit amomo,
 Quemque Cilix flavâ dote maritat odor?
 Vngere vin' CHRISTVM? non illi vespera
 vitæ

Incubat, aut ægro corpore vita fugit.
 At tu putre cales viuaci morte cadauer,
 Quam scelus & febris noxia mœror edit.
 Tange manu venam, mors incubat ignea pectus!
 Et dotes medicas morbida tota geris?
 Eia, crocum myrrhamque tuo transcribe Ma-
 gistro:

Ille salus medicum *Xeisôs* in vnguen abit.
 Relli-

Reliquias animæ si pestifer exedit ardor;
 Qui nocuas flammæ temperet, humor erit.
 Exsanguis in macie modò pallida mortis imago,
 Succida mox pleno flore iuuenta fuerit.
 Quid brevis hora facit? puncto quot feneras
 annos,
 Tam citò de morbo cui fata longa salus!

L X X I V.

MAGDALENA lacrymas suas
 capillis exsiccat.

L V M I N A nimbofas vertèrè doloris in urnas,
 Hinc Amor, inde pari mistus in imbre
 Pudor.

Quas oculus vomit imbricator ceu nubilus
 Auster,

Mox sitiente comâ sicca relambis aquas.

Ipsa tibi pugnas discordi dissona voto,

Et lis diuiduum pectus iniqua fecat.

Si siccas, alios oculus cur turget in imbres?

Sin fluis, has lymphas cur coma parca bibit?

In bibulam telam sparsos ne verte capillos,

Stricta vel imbriferis iniice frena genis.

Sed rigat & siccat labor alter & alter I E S U M:

Apta pio discors hæc in Amore rota est.

Si coma casta bibit, pia quos gena depluit,
 imbres;

Num malè potat Amor, quas dolor vndat,
 aquas?

Ligo

L X X V.

*Ligo in manu CHRISTI hortulani fit
umbraticum horologium MAGDA-
LENÆ.*

MAGDALIS incertas rapiens per devia curas,
Venatur profugi conscia signa pedis:
Nec longum venata, pedes deprendit IESVS,
Cui radiat gnauam marra colona manu.
Hæsit inassuetam Domini defixa figura:
Longus enim viridem sarculus umbrat humum.
Sarculus umbrat humum, quem Crux transversa
pererrat
Ad caput; & CHRISTI sedula dextra regit.
Hunc quem quadra Crucis detornat imago li-
gonem,
Stare solo ut vidit; Dos mea, dixit; erit.
Ut bene nunc horas Crucis indice metiar umbram,
Iste ligo solers horologion ager:
Quem super irradiat sol pulcher Amoris IESVS,
Mortis ad eclipsim qui modo nimbus erat.

L X X V I.

CHRISTVS sitit in Cruce lacrymas.

VERIS odora sequor vestigia sub Crucis
umbram,
Quæ pede purpuræ pulcher adumbrat Amor.
Quæ sequor, abducunt feralem mortis ad aram:
Hic reperi caluo nata rosæ iugo:
Qualia pænè serit spinæ de pubere telo

Asper

Asper Amor, leti quem seges aspra iuuat.
 Hic etiam lentâ deprendi rupe gementem
 Magdalin, & diræ conscia saxa necis.
 Spina tenax vnco morfu defixit euntem:
 Fixa stat: icta genis plurima lympha fugit.
 Quaq; fugit, crescit dolor, & comes vnda doloris.
 Roscida iam nubes Magdala tota fluit.
 Rorat enim lacrymas, (fructus qui summus
 Amoris)
 Quas Iessæ Solymo flos sitit æger agro.

L X X V I I.

Eclipsis MAGDALENÆ.

N VPER ad Hesperij funesta cubilia Solis,
 Vesper inaspicuâ quem sepeliuit humo,
 Quæris adhuc auidis incerta per omina votis,
 Nubilaque vmbrosus funerat ora dolor.
 En tacitos lacrymâ cor exprimit indice questus,
 Et queritur longas noctibus ire moras.
 Siste sed ô lacrymasque, gradumque, grauesque
 querelas,
 Et fuge nocturnis tædia vincita moris:
 Iam debellato redit inclytus vltor Auerno;
 Vt redit Oceanis Sol rediuiuus aquis.
C H R I S T V S ab occiduis necis emicat, emicat
 vmbis,
 Illustrique nouum parturit ore diem.
 Obuius ecce tuis oculis iubar afflat & ignes:
 Obuia iam plenum concipe Luna globum.
 Vt quid adhuc fraudas lumen radiantis I E S V?
 Crescentem ô felix hinc lege Diua diem.
 Rursus

Rursus at umbroso palles ceu Cynthia vultu,
 Quam propior rapidis torret Eois equis:
 Nescia nam tangis, nec conscia tangis IESVM,
 Et paris hinc noctem, dux iubar vnde legas:
 Vitalesque tui Solis redeuntis ad ignes
 Luna files. heu! te mortis eclipsis habet.

L X X V I I I.

*Violas sub Cruce legens MAGDALE-
 NA ab spinâ vulneratur.*

MAGDALIS infestis circum vallata sarissis,
 Mors ubi ferali sub trabe dira sedet,
 Carpebat violas, quas Martius educat annus;
 Carpentem violas improba spina ferit:
 (Hæc Crucis exciderat spinosâ fortè coronâ:)
 Magdalis exclamat faucibus, clamat amans:
 Sentio dulce mei pignus dotale doloris,
 Spinigerâ è siluâ quod mihi misit Amor.
 Omen ab euentu: blando cruor emicat ictu;
 Cumque cruore, pari lacryma rore fluit.
 Opto, simul voueo, mihi dos comes omnibus
 horis
 Sit pia spina; meus iam rosa sanguis erit.

L X X I X.

*Officinam unguentariam Amor
 instituit.*

HIRSVTVM malè culta caput, malè compta
 capillos,
 Quò quæso proripis gradum, Pra-

Præcipitiq̄ue ruis cursu per deuia rerum?

Ad nundinas, ad nundinas?

Et quasnam? ambitio tibi an empturit aurea
gemmas,

Siue annulos cum torquibus?

Anne foro Cyprio speculum & cum pectine
plectrum

Vis emptitare, & spongiam?

Tale nihil spiras. insana choragia mundi

Fastidiosa despis.

Te nouus ardor edit: sagi canis instar, odoras

Venaris auras vndevis;

Arabica s̄que sagax passim rimare tabernas,

Et officinas Indicas.

Quid tantum fatagis rerum, & fora cuncta per-
erras,

Par mobili trocho & rotæ?

Institor ecce sedet bene-olens, bene-olente ta-
bernâ,

Indisq̄ue inerrat mercibus.

Haud vlli vberiore seges fuit Inda paratu,

Manusve manat largior.

Heus tu! non audis? surdas Amor adstrepit aures,

Prensans laciniâ stolam;

Inclamatq̄; frequens: En raro è germine myrrha,

Nardus, crocusq̄ue, & cinnamum.

Quis fiet hic rogitas? Amor ille venustus I E S V

Alumnus, & Diuûm decus.

Hic cassia, hic costus, crocus hic, & puber amomû,

Hic cinnamomum, & balsamum.

Et quot Amor tibi verba ferit fragrante labello,

Tot crede fundi aromata.

Sar

Sat scio te Sponsus pulcherrimus vrit, & vrit
 Cor faucium grauis pudor.
 Quid tibi vis? edic. Amor indicat, esse fidelem
 Nardum; an liceris nardinum?
 Sic est: quo pretio? Totū cedò Magdali mundum,
 Si nundinari mens fiet.
 Turbida num palles? totū das prodiga mundum,
 Venale nardi in præmium;
 Commutatque chelyn, pepla, pleetra, monilia,
 torques,
 Cum nardinâ spicâ, & croco.
 Sic iam dotis inops, comptu sine, & indiga cultus,
 Nudo vagaris vertice;
 Non retinens pictis Sicyonia dædala plantis
 Obstragulo sub aureo,
 Nec tereti vittâ gemmantes vincita capillos,
 Nec torque amœna gemmeo.
 Et vaga sicut eras, sine torque, peplôve vel ostro,
 Præceptis Dei innolas torum:
 Nec nisi cinnameos apportas nuda liquores,
 Queis perpluas Dei caput.
 Credo, pio cum læta croco sic vngis amantem,
 Fragrans in vnguen verteris.
 Nōne tibi cerâ cor mollius ardet, & omni
 Nardo suavius liquet?
 Castus odoratos certè tibi fletus in imbres
 Distillat orbe in vitreo.
 Quotquot enim sacer haurit Amor, funditque
 liquores,
 Succis odoris imbuit.

Semi-

L X X X.

*Semianimis MAGDALENA illa-
crymat sepulcro.*

Cur gemit ad tumulum, ceu consona mortis
imago,
Præmoriente Deo, Magdala prompta mori?
Et piceas auidæ mortis procumbit in vlnas,
Ceu tumuli consors, quo sua vita iacet?
Vult noua mors de morte fluat, de funere funus,
Noxa nouâ noxâ, deq̃ue dolore dolor?
Hæret adhuc certè ceu saxum immobile saxo
Magdalis, & tristi rupe sepulta iacet.
Languet amans; nec Amoris erit reperire medelâ?
Quærit amans; nec erit qui sibi promat opem?
Ardet amans; & adhuc rapidis Amor auolat alis?
Pulsat amans; & adhuc limina furda silent?
Tun' potis ah mi **C H R I S T E** pati tot acerba
doloris?
Tun' potis ah lentæ tædia cruda necis?
Tu mera lux; & adhuc nox Magdalin vmbat,
& error?
Tu via; & errat amans? vita es; & ægra perit?

L X X X I.

Vult iterum ungere.

Quid tibi cum myrrhâ? properas vinctura
sepultum?
Viuit; odoratâ cinnama mitte manu.
Exsequias viuo duxti lacrymosa; secundis
Nil

Nil opus inferiis, mors vbi iussa mori est.
Cur ergo vngendi noua cura recurfat IESVS?
Vis iterum viuos tergere crine pedes?

L X X X I I.

*Speculum purpureum CHRISTI
vulnera.*

IMMEMOR ipsa sui passis in vota lacertis,
Stabat inornatum Magdalis hirta caput.
Vidit Amor stantem sine more, decore, vel auro,
Non ne plus os umbrat, vitta nec vlla comas.
Euge! quid, ô? dixit, sparsis in honora capillis,
Ceu Lothis Solymâ Magdala caute gemis?
Si lubet, excelso speculum tibi subrige saxo,
Formosoque nouum duc licet orbe decus.
Rasile cristallû si quæris; id, auspice CHRISTO,
Erigit in caluo silua cruenta iugo.
Suspiciis aëriæ mortis lacrymabile pignus,
Hic tibi funestæ viuit imago necis.
Vulnera purpureis quot cernis hiantia labris,
Tot roseis speculis pictus inerrat Amor.
Si memor hæc legis ora; tuis inscribet ocellis
Sanguineo radio vulnera viua dolor.

L X X X I I I.

*MAGDALENA lacrymis vult rigare
Crucis surculum insitum cordi B. VIR-
GINIS.*

ARBOR opaca comis, viret arbor opima ra-
cemis,
Quâ Solymos colles frondifer umbrat honos.
CruX

Crux erat, humanæ Crux arbor amica saluti,
 Crux malè-securis hospita silua reis;
 Vberior palmâ, platano formosior arbor,
 Fertilior citro, nobiliorque cedro:
 Durior hæc ebena, buxi que perennior vmbra,
 Quæ sibi pomiferum sola sit apta nemus.
 Hac sibi Virgo parens delibat ab arbore surclum,
 Quem serat, & Soly mâ prouida pangat humo.
 Frondeus vnde nepos, ramusque virente iuuentâ
 Ducat adoptiuis sæcula cana comis:
 De que rudi virgâ surgant plantaria filuis,
 Vnde memor carpat poma cruenta dolor.
 Magdalis vt vidit; siquidem comes illa Parenti
 Ibat, & in caluo flebat, vt illa, iugo;
 Obstupuit tristi defixa labore Parentis,
 Donec Amor vocem soluit, & in fit amans:
 Alma Parès grauido vis germine pullulet arbor?
 Affundam riguas, fetus vt imber, aquas.
 En lacrymæ: cordi viuam Crucis infere plantam;
 Miscabit socias mutuus vsus opes.
 Quam seris ægra tuo victuram pectore siluam,
 Prouida Magdaleis lymphæ rigabit aquis.
 Hæc vbi subriguis arbor adoleuerit vndis,
 Et tulerit largo pabula læta sinu:
 Lacryma tunc quæ cruda, viret iam lymphæ do-
 loris,
 Musteus ambrosij succus Amoris erit.
 Et scribam lacrymis, queis sese hæc educat arbor:
 Hoc pomum tepidis Magdala fouit aquis.

Optat

L X X X I V.

Optat cum CHRISTO *mori* MAGDALENA.

SICCINE? CHRISTE tuæ rupit mors
vincula vitæ,
Et mihi vita nouo stamine pensa trahit?
Magdalin ah! gelidus gelidi tu marmoris hospes
Deseris, & Solymis Magdalis errat agris?
Cur ego non tecum concordi iuncta sepulcro,
Hac in rupe pari nube sepulta regor?
Tristis Hymen nūc cerne, dolor præluit Amori.
Pro thalamo, hīc tumulum mortis adornat
Amor.

Si necis & vitæ par copula iungit amantes,
Et ligat æquus Amor, lex iubet æqua mori.
Quam discors series sic impare diuidit æuo,
Morte mihi grāuior vita superstes erit.
Ne viuam: ah! uiuo, cui pars perit optima vitæ,
Nōne mori totam est, viuere dimidio?
Imò neces mihi mille necis mora parturit. eheu!
Nolo dimidio viuere, nolo mori.

L X X X V.

CHRISTO *triumphante de morte* &
Orco, MAGDALENAE *mæror.*

TÆNARVS abrupto rictum disclusit hiatu,
Demugitque cauo gens Erebea specu.
Quin etiam latè populi gemuere silentes,
Victor vt ad Stygias canduit yltor aquas.
Semi-

Semita collucet vocali persona ludo,
 Quà nouus ignorum rescidit vltor iter.
 Iamque triumphato spoliū deportat Auerno,
 Limina qui quadrā rupit athena trabe;
 Quaque triumphalem longo trahit agmine
 pompam

CHRISTVS ouans, socio te iubet ire choro.
 Mille Duces inter solus spectatur IESVS;
 Nec comes hic festā Magdala fronde vires?
 Curarum heu! tibi mille serit noua cura catenas;
 Teque nigrā mortis compede vincla grauant.
 Quid tibi vis, luctu quæ vertis acerba triumphū?
 Alterius palmas cur tua damna facis?
 Cerne, cauo saxo spoliū tibi liquit Auerni;
 Et moreris victæ mortis ad exuias?
 Quod genus hoc luctus? raptæ modò pignora
 vitæ,
 Quæ tibi vis pariat spes, peperisse doles?
 Hoc Amor? Inuidia est: & adhuc mentiris A-
 morem?
 Quis furor hic, vitā sospite velle mori?

L X X V I.

Angor absente CHRISTO.

PRIMA venit, postrema redit, cassamque se-
 pulcro
 Larga vouet, parili panè sepulta specu
 Magdalis. elingui vox hæret vinc̄ta palato;
 Et brutæ statuæ par, sine mente stupet.
 Scilicet absentem cruciat procul ardor IESV
 Dissitus, & lento decoquit igne iecur.

K

Eminus

Eminus absentem si sic Deus angit & vrit;
 Quid facit, os flammâ dum propiore ferit?

L X X X V I I.

*Navis inermis MAGDALENAM
 deportat in exsilium.*

CYMBAVEHIT Martham, fragili quæ textitur
 alno;

Par Mariam curtâ stans trabe cymba vehit.
 Et par cymba vehit iusto cum pondere fratrem,
 Cui soror alternum cingit vtrimque latus.
 Iamque natat ponto, Zephyri crispante flabello:
 Ludicra veliuolos ventilat aura sinus;
 Spumeaque impellit æquatis marmora remis,
 Spumosumque secat clauus arator iter.
 Sic equidem rebar. sed tonsa hîc nulla, nec vllus
 Remus, & infidis anchora fida vadis.
 Nónne procellosis pila ludicra voluitur Austris
 Linter, & incertis errat vt aura fretis?
 Imbellisque abies ventos irritat, & æquor,
 Vt trepidam vincant ad sua bella ratem?
 Vt lubet, Astræos acue in fera prælia fratres
 Aeole, fluctifonas adijce Caure minas:
 Haud tamen vndiuagis Eurûsve Notûsve qua-
 drigis

Subruet errantem per freta sæua ratem.
 Nónne vides? victrix per inhospita regna timoris
 Labitur inuito puppis inerma mari.
 Cur ratis hæc velit armamenta? natatile ponto
 Ipsa sibi Cælum fit ratis: astra vehit.

Ca-

L X X X V I I I.

Celestes delicia in Contemplatione.

Cor vbi pennatum superas euibrat in auras
 Fortis Amor, limo quē pigra fixit humus;
 Ille leui volitat, volitat super æthera pennâ,
 Ignotis meditans ausa & inausa viis:
 Donec ouans animus, terræ iam victor & æthræ,
 Eluctans luteo glutine, summa petar.
 Liber enim vinclis enodes explicat alas,
 Gestit iô! cœnâ cœlitate iugè frui:
 Irrumpitque Dei thalamum, gremioque To-
 nantis
 Dulcè sedens, nectar dulciùs inde bibit:
 Massilioque solo superas Sionis ad arces
 Migrat; ouans epulo, quale ministrat Amor.
 Ambrosias struit ille dapes, nectarque propinat,
 Aurea cui rutilas sufficit æthra faces.
 Quid ni Diua queat epulis accumbere Diuū,
 Quæ conuiuia Deo, promaque conda fuit?
 Quæ tot opima Deo terris modò prandia
 struxit,
 An malè iam cœnat cœlitate Diua toro?

L X X X I X.

*Cur MAGDALENA sileat coram
 Simone & Judâ.*

Si quæris hospes, & Magister hospitis,
 Inhospitali vt Magdalis stetit toro,
 Quo verpus asper incubat, nec quid boni

K 2

Dextrâ

Dextrâ approbatione sternuit probè:
 Cur vox hiantem Magdalin frustrat metu,
 Et muta plorat? obuius sedet lupo.

X C.

*Quid MAGDALENA scribat
 in conuiuio.*

LAETVS vbi madidas inuitat Tacchus ad aras
 Conuiuam, & roseo scriptat imbre sales,
 Arguto Coniua mero quid nescio surdum
 Pingit, & humenti ducit in orbe notas.
 Inspexi, tacito nota quid linat ebria Baccho:
 Futile quid garrit scripta litura mero.
 At tibi facundo quid scripturit vda Lyæo
 Littera? tota files sicca: Lyæus abest.
 Quid tu sicca files? te siccus an ebriat error
 Absque mero? quamuis sobria. tota mades.
 Sed puris ceu Nympha mades abstemia lymphis,
 Illita cui lacrymis littera scribit: AMO.

X C I.

*Annulam MAGDALENA
 CHRISTO suspendit.*

ASPICIS anguineo lentescens orbe me-
 tallum,
 Candida cui puro lux adamante micat?
 Munus id augustis pia Magdala dedicat aris:
 Fida Deo vixit, vult quoque fida mori.
 Annulus hic, quem Sponsa suo suspendit IESU,
 Irruptæ fidei testis & obses erit.

Magdali

Magdali solus Amor CHRISTVS, dum vixit
& idem
Vt leto occubuit, Magdali solus Amor.

X C I I.

Imago MAGDALENÆ ex Amore.

MAGDALEAM vino mihi pinge colore
figuram,
Quale decus Zeuxis Parrhasiusve parit:
Sidereumque Dei vultu duc cælite vultum,
Vt Diuum archetypo Diua venusta fluat.
Ducis Apelleo spirantia lumina succo.
Aspexi: in tabulâ Diua renata sedet.
Fronte nitet nix pura, micat coma concolor auro,
Lumina purus onyx, labra pyropus habet.
Magdalis hæc diâ simulans sub imagine Diuam,
Cui tantum inuideat vel Charis ipsa decus.
Me rapit in flammis rapidi sacer ardor Amoris,
Vt primum radij cor tetigere meum.

X C I I I.

PALINODIA.

Imago MAGDALENÆ ex Dolor.

VT Dolor has sedit de Magdali crescere tedas;
Hoc mihi pictor, ait, texe, retexe caput.
Non oculos, non ora, genas non quæro, nec
artus;
Nec volo, ut hinc viuat æmula Diua Deæ:
Vnica, & hæc ingens sit lacryma tota, vel imber,
Magdala; & hinc tantum flebilis humor eat.

K 3

Ros

Ros labra, ros coma, ros vultus, ros luminis
orbes,

Ros gena, ros pectus, ros sit & oris ebur.

X C I V.

MAGDALENA *nuntia re-
surrectionis.*

MAGDALA quem furdo venaris auara se-
pulcro,

Anne putas furto diuite prædo tenet?

Iamque nouâ sub nocte premit sepelitque se-
pultum,

Vt duplus vnus funere luctus eat?

Siste fugam pia Diua, tuasque retexe querelas;

Quò rapit errantes deuia cura pedes?

Nec patulo saxo pignus iam quære salutis,

Quam fata vere nouo sospitat ipsa Salus.

Pullulat è grauido vitæ spes alma sepulcro:

Ecce tibi partæ nuntia prima spei.

Hoc est quod vacuâ rimaris anhela cauernâ:

Sit satis hoc; volucris curre, recurre pede.

Huc idè ab Solymâ cursus fuit: illius ergò

Itur, & in Solymum deinde reditur iter.

En solito mulier vitæ iam lætior augur,

Iam positis curis omina fausta canit.

Sic malè-suada viro necis heu! interpres &
auctor,

Femina fit vitæ nuntia læta viris.

Quàm felix ea noxa! parit mors ipsa salutem.

Sæua quod Eua patrat, Magdalis æqua piat.

Terrâ

X C V.

Terrâ CHRISTO resurgenti gratulante, mœret MAGDALENA.

VT Crucis opprobrium florente redemit Eo
CHRISTVS, & extinxit vita bis orta
necem;

Terra nouum, simul æthra nouum profundit
amomum:

Rore suo hæc spirat, flore quod illa suo.

Ipse sibi flores, flos aureus ille salutis

Vendicat, & mundi gaudia verna ferit.

Nempe suo florens IESVS aspirat honori,

Et lustrat radio nobiliore diem.

Terra novos cultus, Tyriosque superba paratus

Induitur, Domino sic placitura suo:

Intexitque sacram læto de flore corollam,

Et mutat teneris spinea ferta rosis.

Scilicet illa pio redimit nunc blanda roseto,

Vulnera quæ fixit spina cruenta Deo.

Nil nisi spinosos legis hoc de vere dolores?

Stare nouam CHRISTO vis redeunte
Crucem?

X C V I.

*MAGDALENA nauigans ad Cælum,
velum è crinibus suis detexit.*

MAGDALA Tenario quondam male-nau-
fraga fluctu,

Et mundi tumidis sæpè sepulta vadis,

K 4

Vt

Vt tandem Stygiis emerfit inerma procellis,
 Quas agitant diris horrida monstra fretis;
 Attendit iam salua caput, cirrosque comantes,
 Quasque secat, stricto colligit vngue comas:
 Et dicit, lacrymans: Queis sparsi retia mundo,
 His ego de cinnis prouida vela struam.
 Si cincinnatus laqueus deuinxit I E S V M,
 Et dabit astrigeræ carbasa fida rati.
 Apta coma hæc tramæ est lentus quam macerat
 humor,
 Vt licuit crispo tangere crine Deum.
 Byrsa Libyssa suos si vertit in arma capillos;
 Cur pia cæsaries texere lina neget?
 Altera stagna sequar, sequar altera regna: sa-
 lutis
 Ibo mari; falsum sed mare fletus erit.
 Infanas Boreæ furias, Nerci que furones,
 Fulmineosque globos, monstrificasque feras,
 Et Noton, & vis si qua Noto violentior vrget,
 Indomitis vincent lintea texta comis.
 Ocyor & terras, & porrò dissita regna
 Aeolidum, & pluuium spes mea scandet
 iter:
 Aetheria que vias puppis tranabit, & ignem;
 Donec ouans Cælo classica læta canam.
 Attrigero fidum cælesti littorè portum,
 Cui Pharos & pernox stat Cynosura Deus;
 Carbasa veliuolis olim detexta capillis,
 Sidereo appendam tunc anathema tholo.

Geniæ

X C V I I.

*Genius ad famam MAGDALENÆ
toto orbe peruagantem.*

Qvò gentium fugaci
Pennâ vagaris exsul,
Incompta, muta, sparsis
Sic hispidosa ciris?
Te solitudo malim
Abdat tuis latebris;
Et Magdalena casto
Hic ingemas dolori.
Ah! denuò laceffent
Te dente viperino
Scribæ, genus proteruum:
Et vipersas tot inter,
Hydras, feras, leones,
Rursum vagaris exsul?
Et vndeuis recurfas
Sursum, simul deorsum?
Quid Nympha, nuda Nympha,
Et delicata Virgo,
Sus deque fers tot vngues,
Morsus, venena, dentes,
Rixas, minas, & iras?
Heu! icta deliquescis
In lacrymas perennes,
In lacrymas edaces,
In lacrymas amaras.

XCVIII.

Pulchritudinem suam in lacrymas vertit
MAGDALENA.

ARGVTIS oculis picto sub flore corollæ
Lusit amœnus Amor, lusit amœna Charis.
Ista breuî sed scena cadit. Amor histrio vitæ,
Qui modò Comœdus, ritè Tragœdus erit.
Ite procul Veneres, blandiq̃ue Cupidinis ignes:
Seriùs in lacrymas Magdalin. vrget Amor.
Ah pudet: hinc duri contusa ad pectora planctus,
Hinc pudor, hinc gelidus plumbea larua
metus.

Lapsa fluit coma, & ipsa comis dilapsa corolla,
Lapsaq̃ue dilapsis flaua iuuenta comis.
Qui roseo flos ore stetit, flos aureus æui,
Excidit in tristes iam cinis vds aquas:
Quæq̃ue priùs niueo candebant lilia vultu,
Purpureis mutat flamma pudica rosis.
Sic licet ægra cadat formosi gratia vultus,
Gratior in formi ridet in ore Charis.
Diuitiis animosa suis, nil indiga cultus,
Ipsa sui pretium, munus & ipsa suum.
Cui tamen in lacrymis maior perlucet imago,
Et noua adoptiuis gratia floret aquis.
En vbi perspicuis lucetq̃ue patetq̃ue sub vndis
Annulus, aut vitreis nummus inerrat aquis;
Siue virens latet herba, segesve, teresve lapillus,
Nais vbi puris ridet amœna vadis;
Quam sibi mendaci fons pictor adumbrat in
vndâ,

Nōne

Nónne suo maior corpore forma nata?
 Sorte pari, medio dilucet gratia fletu
 Pulchrior, & maius fenerat aucta decus.

X C I X.

MAGDALENA CHRISTI
verbis pascitur.

IM B V I T irriguas secundis imbribus aures,
 Nectareisq̄ue rigat torrida corda fauis
CH R I S T V S, inexhaustæ felix cui copia lingue
 Vndat, & ambrosio Magdalin ore trahit.
 Illa inhians, totum cupidâ bibit aure, Magistro;
 Ac saturam pleno proluit ore sitim:
 Et mirer fatuas Marthæ si despuat ollas,
 Nectar & ambrosiam vox cui dia facit?

C.

*Certamen MAGDALENÆ cum Sole,
 vter prior CHRISTVM resurgentem
 comitetur.*

CV R S V coruseo Sol leues rapit rotas,
 I E S V vt triumphum spectet auratâ in togâ:
 Et Magdalena corripit leuem gradum.
 Cælo soloq̄ue curritur curâ pari.
 Vter duorum contigit metam prior?
 Vt Solem I E S V S, Magdalin sic Sol præit,
 Eamq̄ue cursu vincit, vt canat prior:
 Io! triumphè! victor exsurgit Deus.

C I.

Palinodia.

ABERRO: oberrat Magdalis CHRISTO
comes.
Quocumque CHRISTVS obuium flectit
pedem,
Illuc, vt umbra, Magdalis vertit fugam.
Miraris? illum corde fert clausum suo,
Spectansque vbiuis, vndeuisque, quem sequi
Stat vsquequaque, quâ præt, premit gradum;
Obses, comesque nescia abduci Deo.
Dic ergo: Magdalena pennipes,
Solis quadrigas cum suo præt Duce.

C I I.

MAGDALENA cor suum pro sepulcro
offert IOSEPHO.

CAEDVA Ioseph marmora sculpis
Tumulo CHRISTI? desine curæ.
Quod tibi pando, discute pectus:
Cor ibi verno pulchrius horto,
Cor ibi claustro tutius omni,
Cor ibi custos fidus IESV.
Hic vbi CHRISTI nobile funus
Prouida condam.

MAGDA

C I I I.

MAGDALENA *cithara in Conuiuio.**Ad SIMONEM.*

Das epulum; laudo. sed abest lyra nuntia:
gaudi:

Hoc ego non laudo. si sapias, adde chorum.

Fabula sed surdo narratur, & abnuis auris

Delicias; Verbum cui tamen hospes adest.

Plus sapit ista, tuo licet importuna Lyæo;

Arguto digito fila canora teret.

Magdala quot nervis intexit & ossibus artus,

Tot numerat viuas ad sua plectra fides.

Hic vario in numero vocum discordia concors,

Innumeros diâ temperat arte modos.

Sed chelys hæc sonat absque sono: se vertit
eburnam

Magdalis in citharam, cui citharædus Amor:

F I N I S.

FA-

FACULTAS SUPERIORVM.

EGO *infra scriptus* *Præpositus* *Provincia-*
lis Societatis IESV per Flandro-Belgi-
cam, cum MAGDALENAM à P. BAL-
DVINO CABILLIAVO *Societatis*
IESV Sacerdote conscriptam, quatuor de-
signati eiusdem Societatis Patres legerint
probarintque, potestate ab Admod. Reue-
rendo Patre nostro MVTIO VITEL-
LESCO ad hoc mihi factâ, ut typis excuda-
tur, permitto. In quorum fidem has litteras
manu meâ subscriptas, officij mei sigillo muni-
ni. Antuerpia x x x. Ianuarij M. DC. XXV.

Florentius de Montmorency.

AP-

APPROBATIO CENSORIS.

CARMEN hoc BALDVINI CABILLIAVI, Societatis IESV Presbyteri, quo MAGDALENAM diuersimodè affectam depingit, eruditum est, ingeniosum, & numeris omnibus absolutum; quinimò robusta quedam ac mascula oratio in eo spirat, in quo tot prope miranda, quot versus: ea propter quantum calamarum pro eo Auctor mereatur, quantum chartarum, proborum Lectorum iudicia aestimabunt. Datum Bruxella pridie Nonas Ianuarias, M. D. C. XXV.

Henricus Smeyers, S. Th. Licentiatius, & Scholasticus Bruxellensis, Librorum Censor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum Rex Catholicus, & Potentissimus Belgarum Princeps, Diplomate suo sanxit, nequis BALDVINI CABILLIAVI è Soc. IESV MAGDALENAM præter Balthasaris Moreti voluntatem vlllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressam in Belgicæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latius patet in litteris datis Bruxellæ xxvii. Ianuarij, M. D. C. xxv.

Signat.


Steenhuyse.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXV.




















Th
6025

